

chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris

LUIGI FIRPO

14. 2. 5.

Proibito.

FIRPO

2659

BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO

TRACTATUS
De
CONSTITUTIONE
IMPERII
ROMANO-GER-
MANICI,
Auctore
IACOBO LAMPADIO IC.
LVGDVNI BATAVORVM
Ex officinâ IOANNIS MAIRE.
cIↃ IↃ CXXXIV.



Tractatus
DE
REPVBLICA
ROMANO-GERMANICA
Auctore
IACOBO LAMPADIO I C.

Accessit

Ejusdem Discursus de NATVRA NVMMI, & Interpretatio *L. 2. C. de Usucap. pro Hered.*

Item

IACOBI AVGVSTI THVANI GERMANIÆ Descriptio ex eius lib. 2. Histor.

In Viri Ampl. Consultissimique

IACOBI LAMPADII

IC^ti

Et Serenissimo Brvnovicens. Et Lvneburgens. Principi à Consiliis secretioribus

De

REPUBLICA ROMANO-GERMANICA

Tractatum.

TAlis erat nuper victrix Germania Romæ,
Quãdo per innumeros laus data staret avos,
Hac lege Imperii maiestas illa virebat.
Hoc orbis domitrix, hoc modo Cæsar erat.
Hactenus invicti, victores vicimus orbis,
Et lecta in nostro nomine Roma fuit.
Vnum erat in fatis ut se Germania vincat.
Vincit, & invicta nunc cadit illa manu.
Ante tamen chartis faciem depingier istis
Iussit, & Imperii provida scripsit opes.
Tempus erit quondã, post cũ sua busta resurgens
Hinc repetet vultus, juraque prisca dabit;
Nunc nihil invictum propriis non occidit armis:
Vivit adhuc quicquid scripta papyrus habet.
Cerne vices mundi. Robur tandem omne fatiscit,
Et manet æternum quod levis aura movet.

H. Conringivs.

Sereniſſimo PRINCIPI
ac Domino,

D. FRIDERICO ULRICO, DUCI BRUNSVICENSIVM ET LUNÆBURGENSIVM;

Domino meo Clementiſſimo.

SERENISSIME *Princeps, Dn. Clementiſſime, commemorat Hiſtoricus, Henrico Valeſio, eius nominis ſecundo Galliarum Regi, dum Bononiæ degeret, allatum ſtupenda ſpecie & natura lapidem; videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruſcantibus, quique totus veluti ardens incredibili ſplendore micuit, & jactis quoquo verſus radiis,*

ambientem aërem luce, nullis ferè oculis tolerabili latissimè complevit, fuitque in eo cumprimis memorabile, quod terræ impatientissimus, si cooperiretur, sua sponte & vi facto impetu evolavit in sublime. Contineri verò includivè ullo loco angusto, ulla humana arte non potuit, ut nil nisi ampla liberaque loca amare videretur: Summa in eo puritas, eximius nitor, nulla sorde aut labe coinquinatus: figuræ species nulla ei certa, sed inconstans & momento commutabilis, cumque fuerit aspectu longe pulcerrimus, contrectari tamen sese impune non passus est, & diutius contra adnitentibus, aut obstinatius cum eo agentibus, incommodum attulit, quod quamplurimi multis spectantibus suo malo compererunt: Si quid ex eo enixius conando detractum fuit, non enim usque adeo intractabilis in eo erat durities, nihilo factus est minor. Huius vim ac virtutem esse

ad

ad quam plura cum utilem, tum præcipue iis, qui rempublicam moderarentur necessariam, aiebat hospes, qui lapillum attulerat, sed quam revelaturus non esset, nisi ingenti prius precio accepto, cuius magnitudine deterritus Rex opulentissimus hospitem dimisit. Mira mehercule & stupenda species, cuius similem vel unquam visam veteribus à nemine accepimus. Sed ut inaudita lapilli species suo præfulgido jubare mirabundos intuentium animos opplevit, ita mihi eius naturam & virtutem penitius contemplanti, mirifice ea ad nostræ reipublicæ figuram & conditionem incidere apparuit. Tanta enim est imperij nostri raritas, tantusque splendor, ut Salvator noster sub obtutu tam auspicatæ reipublicæ humanam naturam in divinitatis consortium longe longe rarissimo exemplo, adsciscere amaverit, ac multo multo splendidius lumen gentibus

accendere, cuius micantes radij in-
duratura secula coruscarent. Ille
terræ impatiens in sublime sua
sponte exiliit; fugitque cuiusque loci
angustiam: ita imperij majestas non
terræ filia, sed à divino numine &
ortus sui primordia & progressus
accepisse videtur, ac non terreno,
sed longe sublimiori consilio usque
dum constitisse; cuius notitiam non-
nisi amplo felicique ingenio pra-
diti imbiberint. Sed utinam, ut la-
pilli illius, ita & eximium imperij
nitorem, nullâ labe inquinatum as-
serere liceret. Inconstans certe &
mutabilis species apprime congruit;
etenim si imperium ab incunabulis
repetitum, per seculorum ad no-
stram usque ætatem decursum, ali-
quanto politiori animo perquiri-
mus; me Christe! quam varia de-
prehenduntur metamorphoses! Et
gliscit adhuc, sed sine grandi gradu,
obductis meatibus imperij conver-
sio, ac nobis se imprudentibus insi-
nuat;

nuat; quam quidem adhuc sensim irrepere, ferenda imprudentia nesciveris: at tot factarum nostræ reipublicæ transfigurationum ignoratio, maximos fere ut minimos superiori ætate ingenti & pernitioso reipublicæ errore imbuisse cognoscitur. Amæna quidem hæc præcipua civilis prudentiæ portio, & pulchra aspectu est, adeoque quamplurimos sui amore inflammat; at ubi semel animum illi dedideris, tam inexhaustæ subito scientiæ, tum suæ sponte reconditæ, tum confligentibus inter se DD. opinionibus magis impedita difficultas oboritur, ut Lapilli instar, quo enixius conando plus profeciſſe putes; plus tamen supersit quod ignores, quam didiceris: adeo scilicet in hoc genere non minuitur discendi labor, ut ut enixissime conemur. Sed quo difficilius hic est conata perficere, eo hinc uberior utilitatis copia ad rempublicam redundat: Equidem haud scio, ecquid

in republica pluris esse possit, quam si principibus æque ac subditis his parendi, istis imperandi jura paterent. Docuit suos Salvator & conscientiæ rationem subditos ad imperata obstringere; at hic & hic impingitur, si vel quidvis principes imperaverint, vel subditos coëgerint imperata facere, ubi parendo naturam transilirent, vel præcepta divinitus. Et contra subditi, incumbentis sibi necessitatis ignari & in Deum & Principem, & adeo seipsos sunt injurij, si legitime imperata detrectent. Quisquamne igitur vel principum, vel subditorum juris publici peritiam, perennem reipublicæ utilitatem infiteretur allaturam, quæ & imperandi potentiam definit, & gloriam parendi? Sed Rex opulentissimus nimio precio absterritus, dignam regio fastigio gemmam comparare minime sustinuit, etiamsi mercator salubrem regibus lapilli usum mirifice depradicaret.

Mene

Mene igitur nec materiæ ſublimitas deterruiſſet, nec amplitudo, ut & imperij noſtri initia & progreſſus, ac adeo veram moderni regiminis faciem, quæ tam imperij quam obſequij jura adumbraret, procul odio & amore, & denique ſine fuco depictam his pagellis includere, timidius ſuſciperem; cum facile præſagierit animus, hoc quicquid moliebar operis, non ab omnibus æque conſimili æquanimitate acceptum iri: idque ab iis præcipue, qui in republica noſtra ætatem verſati, juvenis in tam ſublimi materia, ſi non reprehenderent, conatum, uſum ſaltem requirerent. Pendebam animi, ſereniſſime Princeps, certus, hoc non neminem mihi neq; fateor, iniuria exprobraturum: ac cunctantius etiam huc animum appuliſſem: niſi dubitabundũ, veſtræ Serenitatis patrocinium confirmaſſet, cui propterea has meas pagellas inſcribere, volui dicam an debui, quod ſi quid è re

dixissem, tua id serenitas suo sibi jure vindicare videretur, quippe cuius sub obtutu & imperio & natus, & educatus ad præsentem vel tenuissimæ eruditionis modum profecerim, aut si usu adhuc imperitior alicubi impegissem, vestra mihi Celsitudo obumbraret. Accessit beatissimi iam animi principis Rudolphi, Reverendissimi, heu quondam Halberstadensium Episcopi, ac Fratris vestræ Celsitudinis dilectissimi: domini mei longe Clementissimi, nunquam ex animo delenda recordatio, cui me viginti duum annorum juvenem ex illustri Iulia accersitum vestra Celsitudo & Serenissima mater vidua, præceptorem fere ante quadrienniumprafecerunt, ut sub Strenui, Nobilissimi ante ac prudentissimi Viri, Dn. Theodori Sigismundi Kropffii Schoningensis aulæ Capitanei: ac meo ductu & moderamine ad patriæ salutem, ac Serenissimæ Guelphicæ domus incrementem adolesce-

doleſceret. Cuius poſtquam heroicam indolem immitis Parca nobis omnibus eripuit, vel hoc Chartaceo munere ſatagere debui, ut tuæ Serenitatis conſimilem mihi Clementiam accirem, quam & ex aula Studiorum gratia abeunti inſigni liberalitate per generoſum Principē benigniſſime impertiviſti. Serena igitur fronte ſuſcipe hunc ſubciſivi temporis praxeos in Camera Spirenſi ſtudio erepti partum, Clementiſſime Princeps. Cui vitam & felicitatem.

Veſtræ Celſitudinis

Devotiſſimus

Subditus

IACOBVS LAMPADIVS
Leoſteino-Bruſvigius.

Dabam Spiræ Nemetum.

De REPVBLICA ROMANO-GERMANICA Tractatus

IACOBI LAMPADII IC.
SERENISSIMI BRUNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCIS FRIDERICI ULRICI
Consiliarij intimi.

PARS PRIMA.

I. IURISDICTIO à jure, quod à jubendo, & dicere quod effectu teneat deducta, complures significationes in-

induit: latissime omnem regendę reipublicæ potestatem designat, cuius in quoquo imperio descriptio jus publicum dicitur. 2. Denotat potestatem quamlibet jure officii seu magistratus competentem: quo sensu ponitur *in l. 7. §. fin. ff. de offic. proconſ. l. 6. §. 2. ff. de tutel. & 4. in Verrem: an hoc quiſquam dubitabit, quin is venalem in Sicilia juriſdictionem habuerit, &c.* 3. Accipitur nonnunquam pro statuendi juris potestate. 4. Sæpius reddendi juris vim exprimit, & quidem præcipue in civilibus, nam criminalium potestatem receptiori significatu imperium appellarunt. 5. Ex partibus obiecti etiam facti cognitio juriſdictio dicitur, *in l. 5. ff. de re jud.* 6. Crebro statuendi iuris potestas, rarius exequendi hoc nomine indigitatur, unde quæ in statuendo jure magis quam exequendo ver-

versantur, magis jurisdictionis quam imperii dixerunt: *l.* 4. *ff. de jurisdict.* 7. Ponitur etiam pro edicto vigore potestatis proposito *l.* 7. *ff. de jurisd.* 8. Pro ipsa sententia; *l.* 1. §. 1. *ff. si quis judicenti. l.* 3. *ff. de offic. ejus.* 9. Invenias jussum quoque magistratus jurisdictionem appellari. *l.* 5. *ff. de verb. oblig.* 10. Locus item personæ & causæ, quibus cuiusque jurisdictio circumscribitur, hoc nomine veniunt; *l.* 18. *ff. de jurisd.* 11. Ius denique ipsum aliquando ita dictum reperitur §. 1. *Inst. fideicomm.* promiscuus autem vocabuli usus pro ratione subjecti convenienter excipiendus est. Et potius ex re quam verborum figura significatio eruenda.

2. Ut autem imperii Romano-Germanici jurisdictio, & adeo natura totius Reipublicæ, Cæsaris ac statuum jura certius aliquando definiantur; age ex-

orsi

orsi altius, principia ab ipsa natura repetemus.

3. Postquam igitur humanum genus ab illa primogenia puritate, qua id Deus optimus maximus ineffabili bonitate exornaverat, ut apprime ad regulam divinæ mentis congrueret, horribili diroq; lapsu defecit: in tantã malitioſæ cupidinis, & perverſi animi abyſſum præcipitavit, ut effreni corruptæ mentis impotentia relictæ bonitatis, ac rectæ rationis igniculos præfocaret, ac indies rueret in deterius. Unde tandem ſumma cum infimis miſceri, æqua iniqua perinde haberi, latrocinia, cædes, adulteria committi, rationis ductum faceſſere, inſculptam divinitus animis legem violari, ac denique mortalium genus intercidere penitus, aut in extremam ſaltem nequitiam vergere oportuiſſet.

4. Hinc igitur factum eſt, ut

sapientiores divinæ mentis reliquias libidinum ac cupiditatum lenociniis prorsus extinctum iri judicarent, nisi extrinseca aliqua virtus effrenatam lascivientis animi cupiditatem rectæ rationis moderamine domaret, ac potestatis vigore communem omnium salutem tutaretur: curaret animos virtute imbui: contra vero à turpitudine vitiorum pœnis, præmiisque abduceret; efficeret denique ne indomita mortalium improbitas communem generis humani incolumitatem conculcaret.

5. Unde cognoscitur communem humani generis in hac civili vita beatitudinē, esse ultimum rerumpublicarum finem, qui respublicas instruat & metiatur, ponatque limites, quibus definita sit imperii politici potestas, nec possit imperando progredi longius, quam hic finis patia-

patiatur, nisi velit in naturam impingere. Etenim ut in contẽplationibus subiectum adæquationis, sic finis in practicis disciplinis affectiones & qualitates determinat, ac quasi circumsepit.

6. Ergo quatenus quicquam huic fini deservit, ac per se illuc collimat, eatenus politicæ potestati subiectum est, quod vero hoc fine non continetur, id nec politico imperio succumbit, ac proinde quanta quanta politica potestas fine, quem diximus, definienda est.

7. Sed quoniam innumerus numerus per disunctissimas oras diffusus, in unam civitatem coire, ac uno imperio digeri nequivit, pars coniunctione sanguinis, nonnulli vitæ consuetudine, quidam bello, alii alia ratione associati in unam civitatem coaluerunt, formamque sibi regiminis adaptarunt, prout tempo-

rum conditio permisit. Ac sic cuiusque civitatis felicitas civium salute describitur, perinde ut finis communis & summus omnium incolumitatem complexus est.

8. Cum vero homines civili beatitudine fruituri coiverint, eatenus rempublicam constituunt, quatenus ad civilem societatem apti sunt.

9. Sed cum ea vis ac ratio reipublicæ propterea inoleverit, ut indomitæ ac inquinatæ mentis affectus, tam à natura tracta ratione, quam propriis scitis temperaret, non solum recta justaque juberet, sed etiam cogeret invitos imperata facere, plecteretque, si qui delinquerent, ideo activa potentia præditos esse oportet, qui ad clavum constituti regere debent rempublicam.

10. Atqui, quia ex sententia Philosophi 6. & 9. Metaphys: activa

activa potentia est principium agendi in aliud, quatenus est aliud, facile intellectu est, passivam quoque potentiam requiri, quæ actionem recipiat.

11. Utraque autem potentia subiectum desiderat, in quo consistat, quocirca cum activam gerendæ reipublicæ potentiam aliis: aliis contra passivam ac obedientialem inesse oporteat, in proclivi est, hos passive se habere, & obsequii gloria fruisci, quamdiu constiterit reipublicæ compages.

12. Præterea passionis conditio est, perficere actionem non intercludere, unde subditos naturam concutere, patet, si improbo ausu contra magistratum iverint.

13. Nec dissolvitur hæc imperandi & parendi relatio, nisi respublica, cuius compagini innititur, funditus labefactetur, sive

destructa bello, sive tyrannide suppressa vel excisa divinitus.

14. Atteruntur sæpenumero imperia vi hostili, crebro etiam imperantium malitia, sed tum integritas afficitur, essentia adhuc incolumi, perinde ac aliqua pars corporis detruncatur vel lęditur. Ex quo intelligi volumus subditos obsequii necessitate non liberari, quamdiu reipublicæ essentia non interciſa est, nec interest quicquam inter magistratus subordinatos & subditos cæteros, æque enim hi & illi ratione maiestatis passive se habent. Et quicquid obtinent potestatis seu jurisdictionis magistratus id per participationem à maiestate, in qua inest primo & formaliter, accipiunt, ipsi nihil proprii habentes. Etenim omnis magistratuum tam creatio quam jurisdictio à supremo, quem Maiestatem dicimus, dependet,

ac

ac idcirco eius intuitu passiva est.

15. Sed cum communis illa reipublicæ salus atque felicitas, sine justitia nec obtineri nec consistere possit : justitia autem vel circa res divinas , quatenus quidem civili societati deserviunt, vel humanas versetur, ac denique politica potestas constituta sit, ut ad propositum finem justitiam moderetur ac administret ; idcirco & imperandi potentiam tam in cultu numinis constituendo consistere necesse est , quam in rebus profanis ad utilitatem publicam digerendis.

16. Et quidem in cultu numinis moderando certos maiestati terminos præfigere , maioris aliquanto negotii est: nec enim infula mitraque amiciveris principes, ut distincta magistratuum ac sacerdotum munia pariter sustineant.

neant. Sane Deus in Uſia rege oſtendit, quam minime ſacerdotis officia regem decerent. Quot vero vel laudatos pietatis nomine reges reprehenſos accepimus, quod non omnino exciſis gentilium Deorum lucis templisque cultum veri numinis repurgaſſent. Sed demus operam, ut ſua conſtet majeſtati, & certa ſit in religionem poteſtas.

17. Conſiſtunt igitur res divinæ vel in ipſis fidei præceptis, iisque vel inſtituendis vel conſervandis, vel in conſtitutione externi cultus & ordinatione miniſterii, vel in ipſo verbi miniſterio obeundo.

18. Fidei præcepta tradere non eſſe politici imperii vel inde patet, quod fides non ſit affectio politica, videlicet fides non convenit homini quatenus ad politicam ſocietatem appoſitus eſt, ſed quatenus eſt cœleſtis reipu-

blicæ

blicæ civis, quæ vero politica non sunt, ea nec politicæ potestati subsunt.

19. Sed quoniam vera religio civilis felicitatis nomen consummat, & nihil æque ac incontaminata pietas rempublicam stabilit; divinarum legum conservatio majestati incumbit: ut fere perinde ac legum à natura productarum, religionis divinitus traditæ custodia, ad magistratus officium spectet. Atenim religionem politicam esse affectionem negavimus; qui igitur politica potestate servabitur? sane quicquam majestatem posse amplius, quam externum cultum tueri, non dixero: atqui hanc custodiam reipublicæ inprimis utilem ac politicam affectionem asserere non dubito. Et hinc Deut. 17. magistratui serio injungitur, ne patiatur fictitium cultum inolescere, sed subditos ad cul-

tum divinitus institutum conformet.

20. Nec conservatio modo sed & institutio cultus exterioris ad majestatem præcipue pertinet, id quod Davidis sanctissimi regis exemplo comprobatur, qui fere omnia ad cultum spectantia ordinavit. Et omnino quicquid per se ad civilem beatitudinem vel contra corrumpendam rempublicam spectat, id politicæ potestati subjicitur, ut ex fine reipublicæ liquet: quid vero pernitiosius reipublicæ acciderit, quam pro vero cultu superstitionem irrepere, subditorum animos ministrorum extra orbitas & sui muneris pomeria innata ambitione procurrentium, præstigiis ac opinionibus imbui turbulentis: ac denique sub obtutu religionis sæpius contra rempublicã consilia iniri ac conspirationes. Florentissimum quondam Francorum

corum regnum tempore Valesiorum fratrum prætextu religionis propemodum subvertissent legistæ, nisi invicta Henrici Borbonii virtus serpentis contagii radices, quas jam nimias egerat, funditus admirabili felicitate exscidisset.

21. Imperium vero Romano-Germanicum quid tantopere attrivit, quam abjecta & in pontificum manus resignata religio? nam simul atque diris pontificum machinationibus circumventi principes religionis curam non politicę potestatis sed ecclesiastici muneris propriam credere cœperunt, ruere imperium ac imminui, contra pontificum autoritas in tantum crescere cœpit, ut tandem sibi incredibili ausu imperii jura asserere non dubitarint: quoties, me Christe, subditos religionis prætextu pontifices in legitimum magistratum con-

conciverunt? simul atque Cæsares imperii jura non ad nutum pontificum convelli paterentur, subito diris devoti, omni, si diis placet, imperandi potestate cadebant, subditi juramenti religione solvebantur; ipsi execrandi, si pergerent principum imperata facere. Ii igitur pontificiæ excommunicationis fulmine attoniti, deserere initio magistratum, postea odio habere, sæpius etiam solio depellere, ac horrenda impietate perruptis penitus divini humanique juris repagulis eo demum procedere, ut contra magistratum consistere pium ac glorioſum putarent, atque hæc patrabant religiosæ seu ecclesiasticæ potestatis opinione dementati, unde intelligitur nihil æque ad salutem reipublicæ facere, quam majestatem religionis curam habere. exitio contra prope esse rempublicam, si majestas

ſtas religionis curam dereliquerit. Poſt S. patrum tempora non ſolum artes & diſciplinæ barbariæ ſitu & ſqualore obſoleverunt, ſed cœleſtis etiam doctrinæ puritas fictitio cultu ſenſim inquinari cœpit, gliſcere ſuperſtitio, quæ tantas temporis progreſſu aſſumſit vires, ut omnia inaniles nugas & fabellas converſa cerneres, extincto vero cœleſtis doctrinæ lumine, momento fere politicæ poteſtatis autoritas divinis ante ſuſtentata literis eviluit, fuitque tandem prorſus incognitum, quam minime omnium magiſtratuum autoritas ſacerdotibus ſubjaceret. omitto, ſurreptam penitus Cęſaribus omnem religionis curam pontificibus ceſſiſſe. Ergo barbaries, quam barbaræ gentes, è ſeptentrionalibus progreſſæ regionibus, in noſtrum orbem invexerunt, doctrinarum omnium

mnium puritatem infecit, unde orta divini ac humani juris ignoratio ſuperſtitionem peperit : ſuperſtitio vero pontificum condidit dominatum, qui poſtea ſibi religionis curam ſoli aſſeruit, unde imminuta imperii majeſtas ad præſentem faciem defecit. pertinet igitur ad majeſtatem dare operam, ne vel ex religione quid reſpublica detrimenti capiat.

22. Nec tantum ex natura rerumpublicarum majeſtati externi cultus puritas ſervanda, ſed etiam divinitus demandata eſt, unde & nutritii Eccleſiæ principes & conſtituti dicuntur, quo muros domus domini ædificarent *Eſai.* 49. *&* 60. *verſ.* 24. ac regerent in vera religione populum *Deut.* 17. 2. *Paral.* 19.

23. Sed cum activa potentia prædita ultra propriam virtutem non cauſent, & vero majeſtatem nihil

nihil aliud esse ostenderimus, quam potentiam activam gerendæ reipublicæ, intelligitur majestatem fidem non posse præcipere, quæ non nisi cœlitus infunditur. Et patet fidem politicæ potestati non quatenus est talis congruere; credant sane principes ac pie Deum venerentur, at hoc ipsis cum vilissimo subditorum commune est, nec ut politico imperio præditi fidem habent, sed ut Christiani æternæ salutis participes futuri, ac perinde ut cęteri in fide se habent passive. Ergo abutuntur potestate principes, qui subditis quicquā amplius quam externum cultum vigore potestatis præstituunt.

24. Quoniam igitur externi cultus curatio majestati incumbit, omnia quę cultui deserviunt, eiusdem potestatis esse oportet, atque hinc ministrorum institutio & inspectio, ad magistratum politi-

politicum ſpectat, conciliorum coactio, ac denique quicquid ad externam doctrinæ puritatem facit.

25. Sed non perinde ut miniſterii ac doctrinæ cura ita & munera Eccleſiæ ad politicum magiſtratum ſpectant, etenim non obiverint huiusmodi niſi ſacris legitime itiniati. Equidem non negaverim & principibus rempublicam tenentibus licere ſacra peragere, ſed ita, ſi rite ſint vocati & ordinati, ſin ſecus, currerent non miſſi. Sed conſtituenda accuratius verbi adminiſtratio & miniſtrorum Eccleſiæ poteſtas, ut ſciri poſſit, quæ ipſis fixæ orbitæ, & qui limites, ne vel miniſtri officii modum excedant, vel principes ſuæ poteſtatis tenorem ignorent.

26. Ergo ipſe ſalvator poſt reſurrectionem ad patrem jam jam aſcenſurus uno quaſi ſermonis

nis fasciculo, quæ ante apostolici muneris propria sancierat, comprehendit: sicut misit me pater meus, ait Dominus & Deus noster Ioan. 20. ita & ego mitto vos, & postquam Spiritum S. inspirasset, continuo subjunxit, cuicunque remiseritis peccata, ei remissa erunt, & retenta cui retinueritis, & cap. sequenti nihil aliud præcepit Petro, quam ut oves pasceret, id vero qua ratione effici vellet, Matthæus & Marcus ipsius Christi verbis exposuerunt: euntes docete, ait, & baptizate &c. *Mat. ult. & Marc. ult.* ite in universum mundum & prædicate Euangelium &c. unde inferimus: ad quod missi tantum sunt *discipuli*, illud solum est apostolici seu Ecclesiastici muneris. atqui nisi Christus post resurrectionem officium Ecclesiasticum imperfecte determinavit, missi tantum sunt ad prædi-

candum verbum, administranda Sacramenta & exercendam clavium potestatem, patet igitur quæ Ecclesiastici muneris propria sunt, omnia in superioribus consistere, quisquamne vero detruncate Christum apostolis munus injunxisse putabit?

27. Clavium potestas tributa apostolis, ut pœnitentes nomine mediatoris, ob ipsius meritum à peccatis liberos pronunciarent, contra daturos pœnas incredulos. Sed hic constitit potestas apostolorum, nec unquam communione sanctorum excluſos, opibus mundanis una depulerunt, non enim est mundana potestas seculi occupata bonis, sed potestas spiritus. Arcuit, ut ferunt, à limine templi Theodosium imperatorem Ambrosius, excluſitque communione ecclesiæ, donec imperatæ cædis pœnitentiam ageret. Sed anne etiam re-

regnum abjudicavit ? Otto vero Frinsing. 6. *Chron.* 35. Gregorium septimum excommunicatis imperatoribus una regnum primo abiudicasse refert, quod quoniam inaudita antea impietate & aggressus est & perfecit, primus pontificium regnum condidisse dicitur. *Avent.* 5. *annal. Boj.*

28. *Sicut misit me pater, ita & ego mito vos:* quid inquam hocce mandato aliud injuxit discipulis salvator, quam ut iisdem deservirent, quorum gratia ipse à patre exierat. quid igitur? scilicet, quæcunque non executus est Christus, propterea non fuit missus: præstitit enim omnia, quæ oportuit *Ioan.* 19. *v.* 28. 29. 30. quæ vero missione Christi non comprehensa fuerunt, ea nec missis Apostolis demandata sunt. Iam vero externum cultum non ordinavit, non imperii ha-

benas excussit regibus, non subditos juramenti religione exsolvit, sed potius jussit sævo imperatori Tiberio debita dari. ergo hæc ad ipsius officium non pertinuerunt : ergo nec ad Apostolorum : meminerimus tamen missionem Christi & Apostolorum in fine & objecto coincidere non in mediis.

29. Quemadmodum igitur politicæ non est potestatis leges natura ingenitas vel instituere vel destruere: sed efficere tantum ut serventur, ita divinitus instituta & præcepta custodire tenetur majestas. Et privatos jussit probare spiritus. *Ioann.* 1. *Epist.* 4. longe igitur rectius à majestate exigitur, ut retundat impostura neq; puritatem cultus inficiatur. at id deniq; adverti velim me in sacris politicæ potestatis objectum inquirere, nõ depingere rationẽ & modum statuendi.

30. Re-

30. Rerum præterea profanarum moderatio inprimis imperia detinet, & ut in sacris politicæ potestatis tenor abstrusior videtur, ita uberior profanorum copia maiestatem exercet operosius. Sed ut reipublicæ tam aliunde potest ingruere exitium, quam in ipsis viscеribus nasci, ita & politicæ potestati & hic & illic remedia suppetere oportet, quibus mala possit à republica abigere.

31. Quæ in viscеribus nascuntur sunt negotia & lites civium, quibus dirimendis præstitutam potestatem, jurisdictionem appellabimus: ius belli, quod mala peregrina profligat.

32. Res civiles seu civium negotia in quibus iustitiæ administratio vertitur, vel personas vel res concernunt.

33. In Personis vel Incolumitas vel dignitas attenditur.

34. Rerum in republica & iustitiæ ratio facit, ut conditione personarum vel ut singulæ vel universæ considerentur.

35. Singulas diceres, quibus sigillatim ob personæ conditionem quid indulgetur: privilegia appellant.

36. Universas, quæ citra respectum personæ ex conditione objecti in genere definiuntur.

37. Et sunt vel delicta vel res quaqua ratione in commercio positæ.

38. Delicta sunt publica vel privata.

39. Res sunt feudales vel allodiales: sed tam has quam illas in alia genera partiri precium est, ut mox patebit, & infra ubi iura Imperii descripsimus, pro re nata præstitimus.

40. Sed ut hæres omnes iustitiæ obiiciuntur, ita ratio seu potius definitio iusti, tanta di-

scre-

screpantia & errore distrahitur, ut pleraque non ratione sed opinione statuta videantur: alia in utramque partem; constitui, iustitiæ ratio ferat. Hinc igitur fieri oportuit, ut tolleretur discrepantia atque dissensio, & in unam partem definirentur res sua natura indifferentes: quicquid autem hic & illic pro jure definitur, civili ratione constitui & à jure majestatis dependere dicitur, non enim certam iuris rationem haberet, nisi maiestas pro autoritate ambiguam conditionem ad certam iuris speciem definiret.

41. Quæ vero certam definitionem à natura ducunt, ea à divina majestate constituta inferiori potestati non sunt obnoxia, nam ut magistratus majestatis imperia patiuntur, ita majestas à primo motore Deo dependet. Quod M. Antonin. Philosopus

veriſſime expreſſit : magiſtratus quidem de privatis, principes de magiſtratibus ; Deum autem de principibus decernere. Hinc nunquam maieſtas divinitus inſtitutas leges infringere poterit, quas parendo excipere oportet, ut inferiorem ſuperioris imperata.

42. Sed omnis iuſtitiæ ratio intra honeſta & turpia conſiſtit, quibus quaſi extremis politica poteſtas incluſa nec vetare poteſt honeſta, nec præcipere, quæ cum turpitudine coniuncta ſunt. In iis quæ his interiecta ſunt, reliquit Deus , quæ certam definitionem à natura non traxerunt, quæ proinde in republica, maieſtatis determinationi ſuccumbunt , & ex utilitatis ratione ex utilitate reipublicæ petita definiuntur.

43. Quoniam vero hæc potẽtia ferendæ legis ut & tota reipublicæ

publicæ administratio non ab interiori principio dimanat, sed ab efficiente & vi extrinseca, quę non in se, sed in aliud subjectum necessario agit. Sequitur majestatem sibi ipsi leges, quibus teneatur, præfigere non posse; pateretur enim simul & ageret. Ex quo liquido patet majestatē legibus à se depēdentibus eatenus non teneri, quatenns civili ratione nituntur: unde naturæ tantum legibus absoluti principes tenebuntur, non civili ratione constitutis, quo circa & naturaliter tantum obligari poterunt, nunquam civiliter, est namque in principis potestate leges ejusmodi utcunque volet, abrogare, & abrogatis alias substituere vel nullas. Quomodo autem illis legibus obligabitur princeps, quæ in proprio eius sunt arbitrio?

44. At tametsi vel natura rite animis justitiam indidit, vel pru-

denter constituit majestas, quæ reipublicę utilitas visa est exegisse, tamen inanis est omnium legum tenor, nisi de genere facti positæ singularibus applicentur, & quod cuique potentia competit, id actu seu effectu tribuatur, unde reddendi juris nata potestas, quæ factis singulis in specie statuta accommodet.

45. Et si hanc reddendi juris potestatem, ut fieri par est, in maiestate tanquam subjecto adæquato consideramus, sepositā jurisdictione magistratuum, per omnia eam rerum genera, in quibus jus statutum reddi necesse est, diffusam esse deprehendimus, scilicet in criminalibus æque & civilibus, jus reddi idque vi potestatis, quam jurisdictionem dicimus, oportet: nec turbemur criminalium potestatem in jure civili non hoc nomine insigniri. non enim hic ex forma & nomi-

nominibus reipublicæ Romanæ sed ex principiis & natura rerumpublicarum differimus, de re potius quam verbis solliciti; infra exactius hæc perstringemus.

46. Sed ubi ubi jus reddendum est, principio de facto cognoscere oportet, ex quo scilicet sit genere rerum, ut jus in genere positum, in individuo possit applicari, & hæc potestas cognitio dicitur.

47. Postquam vero cognoveris, in quo genere versetur *factum*, tum jus in facto statuitur, quę potestas statuendi, juridictio appellatur *in l. 4. ff. de jurisdict.*

48. Statuti juris exequendi potestas imperium nominata est, *itidem in d. l.* 4. quæ quidem in majestate contemplari in civilibus & criminalibus coincidere animadvertimus, etenim non minus in criminalibus & cognitio

tio facti & juris in facto constitutio, & statuti executio requiritur, quam in Civilibus, quolibet alio nomine hæc quis appellet, nihil impedio, modo rem ipsam ita determinemus. unde tandem omnem jurisdictionis difficultatem sublatum iri existimo. Meminerimus autem has reddendi iuris partes sua natura disiunctas esse, quæ possint magistratibus separatim competere, ut videlicet acceperint à majestate in aliquo objecti genere cognoscendi, statuendi & exequendi potestatem, in alio tantum cognoscendi & exequendi, non etiam statuendi potestatem, &c. Et hinc & inde apud Romanos meri & mixti imperii appellatio orta est.

49. Etiamsi porro omnis jurisdictio seu gerendæ reipublicæ potestas sit in manu maiestatis, indeque dependeat, cum tamen, præcipue vero in magna republica

blica, maiestas innumeris civium negotiis per se non possit sufficere, constitui & subordinari oportuit, quorum ministerio reipublicæ munia obiret, atque hinc magistratus à maiestate creari cœperunt, quorum opera vel illa, vel in illa reipublicæ parte uteretur, prout vel obiecti vel potestatis partem attribuit.

50. Ex quo intelligitur magistratuum creationem jurisdictioni deservire, ac subordinatam non recte fortassis à potestate legum vel à doctissimis disjungi tanquam in latitudine oppositam.

51. Manifestius etiam cognoscitur omnem regendæ reipublicæ potestatem primo & formaliter in maiestate consistere, per participationem vero magistratibus communicari, iisque inesse ut subiecto communi, non proprio, ac adeo nullam magistratuum

tuum jurisdictionem esse propriam, modo proprie loqui velimus. Et quanta quanta est magistratuum iurisdictio, à maiestatis arbitrio dependet, quemadmodum corporis vita ab anima participante. Unde decantatum illud omnem jurisdictionem ab imperatore tanquam fonte in inferiores defluere, & inde derivatam eodem relabi, quod adeo verum est, ut ius extremæ provocationis nunquam possit à maiestate avelli. nam sine provocatione ius dicere, nihil aliud est, quam in præsenti saltem specie; legem ponere, id vero procul dubio est maiestatis, hinc adeo est, ut tametsi à sententia præfecti prætorio non appellare tamen supplicare licuerit, *l. un. C. de sent. præf. Præt. l. 5. C. de precib. imper. off.*

52. Denique hæc statuendi & reddendi iuris potestas tam publica

blica quam privata reipublicæ negotia suo ambitu comprehendit, quorum quædam inserviunt iurisdictioni, quædam directo obiiciuntur, ius cudendæ scilicet monetæ, vectigalia, collectæ, ius vacantium bonorum, auri & argenti fodinę, ius venandi, ius ducatuum, comitatuum concedendorum &c. viæ publicæ, flumina, ripæ, portus: sontium pœnæ cuiusque generis: ius creandi Duces, Comites, Barones, Doctores & similes, ius magistratuum creandorum, & omnia denique quæ iustitiæ vel deserviunt vel obiiciuntur iurisdictioni subiecta sunt, quæ quidem suo ordine collocassem, ut inde ratio miscendæ reipublicæ perspici potuisset expeditius, nisi infra denuo fuissent ad intelligendam nostram rempublicam inculcanda; illuc igitur huc desumere licebit, atque hæc sunt, quæ ad

fori

fori disceptationem pertinent.

53. Sed & ius belli exigit reipublicę incolumitas, cum legum disceptatio inter cives ac forenses constituta vim hostilem propellere non possit. frustra namque leges ponuntur, in quos nulla jurisdictio est.

54. Ergo armorum vi extrinseca mala propulsanda sunt, ne exitium reipublicæ hostili impulsu apparetur, consistit autem belli potestas, vel in decernendo bello, vel gerendo.

55. Decernere bellum vel pacem cum hostibus inire, eiusdem potestatis est: cui subiuncta est belli indictio, & jus feciale, ius legationis & fœderum publicorum, cui igitur nec pacis bellive potestas est, eidem nec fœdera iungere licet, nec legationis ius competit. cessante nimirum fine, media sunt inania.

56 Gerere bellum, est administra-

niſtrare quæ vim hoſtilem labefactant, quibus inſerviunt ius armandiarum, Angariarum, plauſtrorum & navium præſtationes, & ius creandi magiſtratus militares & cogendi exercitus: quæ extremo digito hic attingere abunde ſit, ut ſciri poſſit, ex quo quidque principio derivari oporteat, ne adæquatæ cauſæ incerti, opinionibus fluctuemus.

57. Atque in his demum, iure ſcilicet ſacrorum, forenſium cauſarum diſceptatione, ac poteſtate belli omnis politica poteſtas & vertitur & abſolvitur. Et nihil omnino maieſtatis, quod non his limitibus illigetur, ſive rerum in republica gerendarum genera ſpectes, ſive quæ maieſtati ſubordinentur. quod & philoſophum ſenſiſſe conſentaneum eſt 3. polit. 10. ubi definiturus abſolutum illud regii imperii genus.

nus. & Belli provinciam & sacrorum ac præterea iudiciorum & forensium causarum illos reges habuisse ait. Exhauriat igitur hæc rerum potestas reipublicæ moderationem necesse est, si absolutum fuit imperii genus.

58. Postremo cum illa activa regendæ reipublicæ potentia quatenus primo, & formaliter citra respectum dependentia & participationis consideratur, formet rempublicam & actuet, & vero omnis actus qui materiæ immergitur, sit actus vel essentiæ vel Existentiæ, precium me facturum puto, si ex his reipublicæ naturam, tanquam formali principio definivero.

59. *Actus igitur Essentiæ ut in omni re, ita quoque reipublicæ talem actum inducit, qui Esse reipublicæ constituat, quique toti sit speciei communis; & licet non sit extra materiam, non tamen est in mate-*

materia propria, sed communi, ut anima rationalis in homine, actus vero existentiæ in individuis tantum consistit, materia scilicet propria non communi. Et forma quidem est eadem Essentialis, sed non accidentalis, propter conditionem propriæ materiæ seu subiecti.

60. Ex his recte intellectis dignoscere licet formam cuiusque imperii essentialem & subjectum adæquatum, non esse, vel monarchiam vel Aristocratiam, vel Democratiam, sed formas has esse accidentales, subiecto tantum communi differentes. Etenim respublica separatis temporibus & unum & paucos & multos potest habere dominos, qui quidem subiecto existentiæ differunt, non vero actu essentiæ; nec enim essentiam reipublicæ Romanæ concidisse quis dixerit, cum exactis regibus maiestas ad optimates transiret: nec

ſpeciem humanam, ſimul ac unum individuum interierit. Maieſtas igitur eſſentialiter toti reipublicæ ut ſubiecto adequato inhæret, extra reſpectum unius vel plurium. quo reſpectu maieſtas recte dicitur indiviſibilis non quidem ratione obiecti, ſed poteſtatis occupatæ in rebus adminiſtrandis. At in ſubiecto communi exiſtentiæ pro ut res in republica gerendæ, diviſionem vel ſpecie recipiunt, ita majeſtas poteſt in diſparatis ſubjectis conſiſtere.

61. Scilicet ſit unius in manu divini cultus moderatio, ut apud Lacedæmonios: pauci jurisdicendi poteſtatem obtineant, de bello decreverint omnes, expedita hic eſſet miſcendæ reipublicæ ratio, quæ ex omnibus accidentibus ſpeciebus conſtaret. Sed & tam in cultu numinis, quam rebus civilibus ut & bel-

lo,

lo, tot sunt distincta genera & rerum partes, ut facillimè separatæ speciei imperia recipiant, unde & unus & pauci & multi in separatis reipublicæ partibus poterunt rerum potiri, fieri etiam potest ut unus & multi; item pauci & multi; item unus & pauci rempublicam quisque in suo obiecto gubernent, quod quia in nostro imperio accidit, & solius Cæsaris & statuum Cæsarisque commune imperium ex disiunctis rerum generibus depingere fert animus, ut ubi solius Cæsaris est potestas ibi regale imperii genus: ubi commune statuum cum Cæsare imperium, Aristocratiam ibi liceat agnoscere.

62. Nec minus maiestatem habet, qui unius reipublicæ partem independenti potestate gubernat, quam qui suo solius imperio rempublicam absolvit, seu qui solus rerum omnium potitur.

tur. etenim non amplitudo & ratio objecti majestatem definit, sed formalis & independens rerum gerendarum potestas. Et quæ potestas politica à nulla alia, ratione dependentiæ & causalitatis patitur, ea summa est & prima atque adeo majestica : ex objecto autem Majestatem non esse æstimandam vel inde cognoscitur, quod maiestas & magistratus circa res easdem versentur.

63. Atque hinc vehementer hallucinabitur, qui vel amplissimam magistratuum potestatem cum maiestate confuderit, aut quicquam ad formam reipublicæ putaverit referre. Romæ prætores & stante republica & Cæsarum tempore fuerunt. precaria scilicet magistratuum jurisdictio non est formalis, sed formata à majestate & per participationem tributa, ut supra ostendimus.

64. At-

64. Atque ita quam breviſſime licuit, fontes & rerumpublicarum eſſentiam ab ipſa natura deducere præcium rati ſumus, quo in progreſſu noſtri imperii jura certius inde & felicius derivaremus, tot diſſidentium inter ſe doctorum politicorumque turbine minus agitati. Conciſius dicta & quod in tanta brevitate accidere potuit, forte etiam obſcurius, mitius acceptum iri confido, nos quidem jam accingimur juribus imperii partim ſoli Cæſari, partim ſtatibus promiſcue competentibus.

PARS SECUNDA.

1. ANNO mundi 3212. Anno 1. ſeptimæ Olympyadis 21. April. vel ut Vellei. Paterc. 6. Olympyade poſt duos & viginti annos quam prima cõſtituta fuerat, ipſis parilibus Romulus & Rhemus ex Rhea Sylvia, Numitoris regis Albani filia incerto concubitu ſuſcepti, Romam in Palatio condere cœperunt; quæ principio ab Albanorum Latinorumque colonis, quibus paſtores acceſſerant, habitari cœpta, in eam tempore procedente imperii amplitudinem crevit, ut nullo unquam vitio vehementius, quam imperii magnitudine laborarit, conſtiteritque ad hæc uſque tempora annos plus minus 2370. variis & mutati & permixti imperii vicibus,

bus, utcunque potentia & maiestas à pristino vigore, longe ceciderint. Sed non tam magnitudinem, quam jura & formam delineaturi, præcipuas imperii mutationes ex incorruptis rerum monumentis repetitas, initio adumbrabimus; quo ex diversitate specierum facilius judicetur, quantopere ad præsentis imperii maiestatem & formam caligent, qui ex veteri eam statu minime definiendam esse minus didicerint.

2. Principio igitur regale civitatis genus usque ad exilium L. Tarquinii Superbi constitisse per annos 244. prodidit *Livius lib. 1. in fin. & pr. lib. 2. Halycar. lib. 1. & 4. in fin. & Tacitus 3. Annal. nobis Romulus*, ait, *ut libitum, imperitaverat.*

3. Exactis postea regibus optimates aliquandiu rerum potiti sunt, plebe omnino excluſa. Pri-

mi enim consules omnia jura, omnia insignia retinuere, qui alternatim fasces habebant *Liv.* 2. *Halycarn.* donec Valerius Publicola, occasione ædificii, quod in summa Velia moliebatur & vacui consulatus, affectati regni suspicionem incurreret. qua famæ indignitate motus vocato ad concilium populo, summissis fascibus in concionem ascendit gratumque populo exhibuit spectaculum, submissa sibi imperii insignia lætanti. Deinde legibus latis primus omnium populare imperium, senatoriæ potestati tandem exitiale, invexit. Ante omnes provocationem extremam populo adversus magistratus dedit, quo nullum communicati populo imperii argumentum potuit conferre potentius: nam consulum potestatem populo subiectam adeo depressit, ut Appius Claudius consulum minas

minas non imperium esse conquestus sit. Capitale quoque esse iussit, si quis iniussu populi magistratum adiret.

4. Nec tamen omnia imperii iura ad populum his legibus transierunt, sed multa adhuc potuit senatus, multa populus. Etsi enim sine iussu populi magistratum adire nefas putabatur, magistratum tamen ita populus iubebat, si senatus autor fieret; & sæpe senatus sua solius autoritate & consulibus & prætoribus magistratum abrogavit. uti Servilio Cæpioni *Flor. lib.* 67. Cinnæ: *Velle. Paterc.* Caio Iulio Cæsari *Sueton. in Cæs. c.* 16. denique nec quicquam populus statuere poterat, nisi esset provocatum, nec ad creationem magistratuum venire, nisi auspicarentur Curules magistratus iuberentque. De bello etenim & fœderibus ad senatum referebatur, nulla habita ra-

ratione populi *Liv. lib.* 2.

5. Sed deinde Tribunitia potestas omnem sensim senatui potestatem per vim & seditionem eripuit, etenim cum plebeii iracundiæ stimulis perciti ac multis irritati iniuriis in sacrum montem secessissent, necessario senatus quia res aliter convenire non poterat, de creandis tribunis, assensit, qui initio quinque, postea decem creati plebem contra optimatum potentiam seditiosis concionibus ciere, & ad novi commodi spem, ad nova consilia impellere nunquam destiterunt, donec patres tribunitiis procellis agitati suum fere imperium perdiderunt. quæ senatus improbabat, sæpius iubebat populus, & tribunis, iure intercessionis SCta impedire sollenne erat. Senatus vero iussa populi, ut ut nullo iure niterentur, impedire non poterat, ilico enim incitantibus

tibus tribunis, erumpebat seditio, ilico vis, ilico cædes: cuius periculi metu senatus tandem ad Democratiam imperium deflectere permisit; omnia ait, M. Manlius Tribunus Pl. adhuc quantacunque petistis, obtinuistis, seu vi seu fortuna vestra, tempus etiam maiora conari, ostendite modo bellum, habebitis pacem, videant vos paratos ad vim, ius ipsi remittent. hinc adeo ius belli; sacerdotii & legum una lege ad populum concessit; duo quippe consules plebeiis dediti, studio constituti fuerunt, ut patrum potestatem infringerent. Hi igitur legem centuritatis Comitiis pertulerunt, ut quod tributim plebs iussisset, populum teneret; quam postea legem Hortensius Dictator denuo repetitam sanctius stabilivit; unde Pomponius *l.* 2. §. 8. *de Orig. Iuris* & Iustin. §. 4. *inst.*

inst. de jur. nat. gent. & civil. Plebiscitorum autoritatem, Hortensio acceptam ferunt.

6. Retinuit quidē senatus non communicata populo, quæ quātacunque fuerint aristocraticum quid sapuerunt, de quibus *Polyb. l. 6. & Paul. Man. de Sen. Rom.* Sed ambiguā plane nec certis definitam limitibus patrum fuisse potestatem quam plurima declarant. eluxit nonnunquam patrū viguitque autoritas, sæpius plebi prorsus succubuit; invenias senatus decreto judicio liberatos, quibus tribuni ad populū diem dixerant; diversi generis exempla apud Valerium, Florum, Eutropium, & Paterculum extant, vix assequor, qua potestate Senatus Cæcilium Metellum, Tribunum Pl. & Caium J. Cæsarem prætorem, reipubl. administratione submoverit, cum ex lege Voleronis Publii, Plebeii magi-

stra-

ſtratus tributis Comitiis crearentur & juſſu Populi ex lege Publicolæ magiſtratus adirentur: imo reſtituit Cæſarem ſenatus inducto priori decreto. *Sueton. in Cæſ.* Bella etiam nonnunquam ſola ſenatus autoritate decreta ſunt, & cogendi exercitus tributa conſulibus facultas, *Cæſar. 1. de bello civil. Sal. in Cat.* & tamen lege cautum erat, ne iniuſſu populi de bello vel pace decerneretur. unde fluctuavit reipublicæ poteſtas variis ſeditionum fluctibus agitata, donec tandem exitialis & deterrima exitit Anarchia, & ij plus in reſpubl. potuerunt, qui viribus, nõ qui jure prę valebant; ut non abs re Catilina apud Saluſtum dixiſſe videatur: *poſtquã reſpublica*, ait, *in paucorum potentium jus atque ditionem conceſſit, ſemper illis reges: tetrarchæ veſtigales eſſe: Populi, nationes ſtipẽdia pendere, cæteri omnes ſtrenui, boni, nobiles, atque*

atque ignobiles vulgus fuimus, sine gratia sine autoritate, his obnoxij, quibus si respublica valeret, formidini essemus. Caius Iul. Cæsar, cum Pompeio & M. Crasso societatem iniit, ne quid in republica ageretur, quod displicuisset ulli è tribus *Sueton. in Cæs. c.* 19. ad extremum, is qui solet exitus consecutus est. Effrenis scilicet potentium ambito, quæ nullis iam legibus coerceri poterat, in contentiones erupit ac populari imperio attulit exitium.

7. Nam Cæsar devictis Pompeianarum partiū reliquiis, populare civitatis genus in regiam formam convertit, nec quicquā reliquit populo, quam pristinæ libertatis imaginem, rempublicam suo arbitratu ordinavit, correxit fastos vitio pontificum per intercalandi licentiam turbatos, Senatum supplevit; patritios allegit; prætorum, Edilium,

Quæ-

Quæstorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliavit, notatos opere censorio aut sententia iudicum de ambitu condemnatos restituit, comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur, pro parte altera, quos ipse dedisset, & tamen hæc ipsa populi suffragia in sua manu habebat, incautæ plebi sub comitiorum specie imponens, ne amissam penitus libertatem propalam animadverteret, nec ipse dubitavit palam confiteri: Nihil amplius esse rempublicam, appellationem modo sine specie & corpore, Syllam literas nescisse, qui dictaturam deposuerit: debere homines iam consideratius loqui secum, ac pro lege accipere quæ dicat. Et cum ipsi triumphanti ac subsel-

lia tribunitia prætervehenti unus tribunorum Pontius Aquila non assurgeret, proclamavit: repete ergo a me, Aquila, rempublicam tribunus. Suscepit continuum consulatum, Dictaturam perpetuam, præfecturam morum, prænomen imperatoris *Sueton. in Cæs. c.* 40. 41. 76. 77. 78. Ex quibus intelligitur, quam vere *lib.* 5. Eutropius Cæsarem & Augustum sub Dictaturæ nomine regnasse & *lib.* 6. *in fin.* Cæsar honores ex sua voluntate præstabat, qui à populo ante deferrebantur, ac alia regia ac pene tyrannica faciebat. Et Cicero sublatam libertatem ac nullam superesse rempublicam passim ingemuit. 1. *off.* 1. *de natur. Deor. lib.* 11. *fam. ad Brutum* scribit: *ita confidunt ac sperant cives, ut antea rege, sic hoc tempore, regno te rempublicam liberaturum.* Tyrannide quidem Cæsar, & armis civilibus sub-

subiecit rempublicam, ac idcirco se iure interemtum iri metuens SCtum fieri curavit, ac jurejurando omnes astrinsit, ut Sacrosanctus haberetur.

8. Nec tamen omne omnino ius imperii Cæsari adimere ausim, cum populus delata ipsi perpetuitate Dictaturæ imperandi titulum contulerit, sive solito in ipsum favore, sive quia aliter non poterat, quod vim imperii Cæsar iam omnem teneret, referti sunt exemplis sententiisque historici, quæ regiam Cæsaris potestatem ostendunt. Lex quidem Regia, quæ prorsus imperium in unius manum resignavit, Iulii tempore haud fuit perlata. Sed quid, obsecro, inter perpetuam Cæsaris Dictaturam populi suffragio obtentam & regiam illam, Augusti procul dubio temporibus latam, interfuit? Maiestas ait *Bodinus* 1. *de repub.* 8. est sum-

ma in cives ac subditos, legibusque soluta potestas, quam ille bene definiverit non disputo; illud sane cuivis in historiis vel leviter versato facile subolet; summam ac perpetuam in republica potestatem competisse Cæsari sive vi sive lege Comitiali quæsitam. Redolebat antiquitus Regiam potestatem Dictatura, cui propterea temporis modum definiebant, quia iuris non poterant. *Liv. lib.* 4. Itaque perpetuam Cæsaris Dictaturã regnum fuisse oportuit, neque potestatis neque temporis terminis circumscriptũ. Lucio Syllæ populus in octoginta annos Dictaturã detulit, ut tandem temporis decursu desineret, ad populi arbitrium relapsura. Cæsari vero obtulit sine lege, quo indubio argumento ipsum solutum legibus reipublicæ dominum constituit. *Polyb. lib.* 3. omnibus Dictatoribus solutum

impe

imperium attribuit temporis tantum curriculo definitam: Cæsaris vero Dictaturæ temporis etiam accessit perpetuitas. Largiri quidem Bodino oportet, Dictaturam præcariam fuisse ac dependentem, ut ut administratio reipublicæ regia videretur. At ut id tuto de omnibus aliis dixeris, ita de Cæsare asserere magnæ est imprudentiæ. Etenim Cæsar, ut sub inveterato Dictaturæ titulo occupatæ reipublicæ invidiam declinaret, fucum fecit populo ac sub pallio Dictaturæ totius reipublicæ summam detinuit. Sacra æque ordinabat ac profana, consulatum pro arbitrio dabat, abrogabat tribunis magistratū. Abibant magistratu consules, cæterique omnes, creato Dictatore, soli relinquebantur Tribuni Pl. hos neque creare neque dejicere poterant Dictatores. Quid multis? jura sacro-

rum, jurisdictionem, Pacis & belli potestatem obtinuit Cæsar, ut ut suppressæ reipublicæ invidiam pristinæ libertatis simulacris subdola simulatione lenire allaboraret.

9. Post interemtum Cæsarem quam plurimi quidem amissam libertatem recipere studuerunt, Brutorum, Octavii, Antonii Lepidique armis hinc & hinc concussam ac fluctuantem: sed prævaluit, adversa dicam an secunda fortuna, ut Cæsar Octavianus, pulsis ac domitis factionum ducibus, ac extinctis civilium discordiarum fomitibus, omnia bellis civilibus fessa sub nomine principis in imperium acciperet. nec unquam populus post de repetenda republica cogitavit, nisi post Caii Caligulæ interitum *Ioseph. 19. de Antiq. Iuda.* sed cunctando occupandi exercitus facultatem Claudio dederunt:

ma-

manent adhuc Augusti ipsius imperii vestigia, ut penitus ex voto, quod extat apud Suetonium, huius status fundamenta iecisse videatur. Respuit odiosum Dictaturæ nomen, sed *ut ait Dion. lib.* 54. honore atque autoritate Dictatores omnes anteivit, & sane regium ipsius imperium tam liquidum est, ut mira hic sit Bodini dissensio, qui tamen immemor sui, Augustum, verbo Tribunum Plebis & principem appellatum, reipsa regem fuisse diserte scribit. 4. *de rep.* 377. Tacitus qui vir & quantus! centies imperatoriam maiestatem inculcat, 1. *Histor.* pacis interfuisse scribit, omnem potestatem ad unum deferri & alibi Augusti domum vocat regnatricē. *Dion. lib.* 53. aliter fieri non posse *dicit*, quin sub regno Romani se esse fateantur, delata ad imperatores rerum summa *lib.* 51. *ait Augustus*,

ex quo regnum habuit, nihil truculentum admisit. Et Caius Cæsar Calig. cum audiret forte reges concertantes apud se de nobilitate generis, exclamavit, εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς. nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, verum admonitus & Principum & regum se excessisse fastigium, divinam sibi maiestatem asserere cœpit. *Sueton. in Calig.* quid multis opus est? Lex Regia totam reipublicæ faciem vel mutavit vel confirmavit, & quam populus stante republica potestatem tenuerat, in unum contulit: unde & Regia dicta est, quia statum reipublicæ popularem regium fecit, transfusa in Cæsarem Romani imperii maiestate. Mansit quidem, si essentialiter consideres, eadem maiestas, indeque Romani imperii est propagata definitio, sed subiecto existentiæ dissidere cœpit, nam

in

in una defixa fuit, quæ antea omnium fuerat. De Lege Regia eleganter disseruit vir doctissimus Thomas Lansius, qui adiri potest. Sed minuenda est prorsus Bodini opinio, qui eam tempore Vespasiani primum perlatum fuisse contendit. Senatus P. Q. R. cum Vespasiani imperium confirmaret, eandem ipsi quam Div. Augustus & cæteri principes potestatem obtinuissent, tribuebat, igitur & Div. Augustus regia potestate vel tacita vel expressa lege præditus fuit, si Vespasiani potestas ad eam congruit. *Tac.* 4. *Histor.* Sed etiamsi Augustus ut & insecuti principes rempublicam pro arbitrio agerent, tamen Caii Iulii artem edocti, miro veterum magistratuum fuco regale imperium illinebant. *Tacit. lib.* 4. *Annal. & passim.* donec procedente tempore regii nominis invidia exoleſceret.

10. Nihil igitur dubitandum est, quin Cæsarum imperium inde à Iulio ad Francorum Cæsarũ tempora usq; regiam omnino & absolutam maiestatẽ continuerit. Et legum potestas, & iurisdictio, & magistratuum creatio sacrorum deniq; bellique potestas in ipsorũ arbitrio fuerunt; *l. un. in pr. ff. ad L. Iul. de ambitu. Nov.* 78. *Anton. Aug. Fulv. Vrs. de leg. Reg. & copiose doctissimus Arnisæus* 2. *de republ. c.* 6. *sect.* 4. de Græcis imperatoribus non attinet adiicere cum historiæ regiam eorum potestatem liquido prodiderint.

11. Post Ottonum tempora Cæsarum potestas paulatim imminui cœpit, præcipue vero pontifices, erepta Cæsaribus sacrorum cura & Episcoporum creandorum potestate sibi vindicata, non imperatoris solum sed & imperii maiestatem attenuarunt. Etenim cum Henrico Quinto

ius

ius Episcopatuum eriperet Pontifex, plus imperatorem, quam dimidium suæ iurisdictionis perdidisse ait *Æmilius lib.5.* Competierat imperatoribus illibata pontificis Romani creatio eamque Henricus Tertius libere exercuit & lege confirmavit, tribus pontificibus: Benedicto nono, Sylvestro tertio & Gregorio sexto, seditioso certamine de pontificatu contendentibus, amotis, ac Bambergensi Episcopo Clemente secundo, ijs substituto. Clementi virus sublato Damasū & huic rursus Leonem nonum successorem dedit. De constituendis Episcopis, quin Cæsaribus in imperio statuere liceret, nemo ambigere sustinuerat, sed Gregorius septimus Edicto præcepit Episcopis, ne distribui Episcopatus ab imperatore paterentur, neve ab eo peterent sui confirmationem. Nec hic constitit

Gre-

Gregorii furor, sed illam à tot imperatoribus & Episcopis Romanis sancitam & toties repetitam legem, qua sine assensu imperatoris Romanum Episcopum creari non licebat, prorsus confringere equis viriisque annisus est. Commisit Henricum Seniorem cum Saxoniæ principibus, quo liberius imperatoriæ maiestatis iugum excuteret; quod etsi Henrico patri non poterat, qui antiquissimam semper habuit imperii maiestatem, filio tamen, id postea Calixtus extorsit. Etenim Henricus nefandis pontificum machinationibus & perfidiosis suorum fessus defectionibus, cessit rabiei pontificum, ac ius creandi pontificis, constituendi Episcopos, iura denique sacrorum omnia Rom. pontifici apud Vangiones publicato decreto resignavit: anno Christi millesimo centesimo vigesimo-

gesimo secundo, non. Calend. Octob. *Peuc. 4. Chron.* Nec in sacris tantum imperatoria maiestas eviluit, sed occasione Electitii iuris in profanis quoque iuribus decrevit. nam postquam Germanorum procerum suffragiis eligi Cæsares cœperunt, certis legibus circumscriptam imperii potestatem adepti, non amplius pro arbitrio rerum gubernacula moderabantur. præcipua quidem mansit Cęsarum autoritas & pleraque soli ex sententia usque ad Carolum quartum gerere potuerunt, sed adacti in certas leges, proceres alicubi in imperii societatem adsciverunt: id quod historiæ suppeditant.

14. At Carolus Quartus, qui illicitis artibus rerum potiri cœperat, quique filium Wenceslaum quibuscunq; conditionibus ad imperium extollere satagebat,

gebat, lege lata, quæ Aureæ Bullę nomine iam celebris est, plurimum pristinæ maiestati detraxit: sustulit, fateor, divino consilio dissidia, quæ in Electionibus antea accidere consueverant. Sed Cæsarum opes ac patrimonia exitiosissimo exemplo fere distraxit. Vnde factum est, utà multo iam tempore Austriaci cæteris Germaniæ principibus opulentiores, cum ingenti Germanicæ libertatis periculo, Cæsareo diademate soli micuerint. Bella quidem communi Cæsaris & statuum decreto suscepta, communi eorum impendio geruntur. Camerale item iudicium Spirense procerum sumtibus consistit. Sed quę ad splendorem Cæsaris dignitatemque sustentandam pertinent, propriis cuiusque Cæsaris opibus incumbunt. Occurrere quidem Electores publicæ huic inopiæ in imperato-

ratoria Capitulatione voluerunt, statuta iurataque lege, ut Cæsares aperta imperii feuda nulli alii conferant, sed Cæsareo patrimonio reservent; quomodo vero id usquedum successerit, eventus declarat, ea sane est rerum facies, ut nec vitia nostra, nec remedia pati quæamus. Sed absint quærelæ, ne tum quidem gratæ futuræ, ut ait ille, cum forsitan necessariæ erunt: iura nimirum imperii non vitia persequemur.

PARS

PARS TERTIA.

CAP. I.

De fine Reipublicæ Germanicæ.

1. SUPERIVS unamquamque rempublicam à publica civium salute & felicitate mensuram accipere tradidimus ; quæ quia in rectis reipublicæ formis tam parentium quã imperantium commoda complectitur, convenienti sane Augusti titulo Cæsarem insigniri fatendum est , quem etsi ab Octaviano, qui primus ob felicem gestæ reipubl, successum, hoc nominis encomio splenduit, successores acceperunt: imperatores tamen Germani faustiori omine à fine gerendæ reipublicæ, non ab augurio, unde quidam augusti nomen Octavino inditum ferunt. *mehrer des Reichs* decoro emblemate celebran-

brantur: augent sane rempublicam, qui in iustitia & æquitate summis pariter ac infimis suum tribui faciunt. Et hercle longe felicius geritur respublica, suumque assequitur finem, si magistratibus sua constet autoritas, ac subditi in suo quisque ordine & gradu ab iniuria undequaque præstentur tuti; quam si longe lateque propagentur imperii fines, non enim quam maxime dilatatos efficere imperii terminos reipublicæ felicitas est, sed maximos minimos suo quosque loco tueri. Cadit igitur calumnia eorum qui ex eo irrisui habent hunc titulum, quod multis abhinc annis Cæsares nec quicquam imperium adauxerint.

2. Contendimus autem omnium vel infimæ sortis civium salutem reipublicæ nostræ esse propositam, nisi imperium vitiosum à rectis formis deflexisse

proprio ac turpi testimonio contestari velimus. Humano corpori respubica simillima est, in quo diversa membra certo ordine locata, suo quæque munere funguntur. Capitis imperio utimur, inserviunt cętera; sed ita ut unius sit præstantior opera, alterius vilior: in pectore robur consistit, pedes manusque fulciunt & parant. Interiora corporis in alimentum accepta ac justa temperie digesta quoquo in omnes partes diffundunt, ut suus cuique pastus suppeditet, & tota compages, concinnentibus inter se partibus servetur incolumis: nam simul vel despectissima pars aliqua corporis corripitur, totum repente corpus languore & ęgritudine oppletur, ac tandem dissolutio sequitur, nisi pars affecta convenienti remedio curetur. consimilis prorsus est imperii ratio, quod facile intelligit, qui rerum-

rumpublicarum naturam, & quibus legibus cives in unam rempublicam coïverint, non ignorat. Sunt principes in noſtra republica & magiſtratus, ſunt Conſiliarii, & equeſtris ordinis viri, ſunt denique mercatores, agricolæ & opifices. Principes & magiſtratus ſunt reipublicæ caput. Conſilarii oculi & ſpeculatores. Ordo nobilium & milites pectus ac robur repræſentant: mercatores, agricolæ & opifices, ad manuum pedumque munia conveniunt; quos ſi deprimunt principes opibuſq; exhauriunt, perinde faciunt ac ſi ſibi manus pedeſve præſcinderent, aut certe ſucco paſtuque ſubtracto macie tenuarent, quo in capite vel pectore abundantior ſuppeteret pinguedo. egregiam vero illam corporis pulcritudinem habitumque conformem! viget igitur reſpublica, ſi capiti obtempe-

rabitur, pectus, robur scilicet manus, pedesque securi injuriarum sua munia obiverint, ac suo ordine fuerint tuti. Sed callida hodie consilia in precio sunt, unde tandem ipsi principes exosi subditis regnis provinciisque excidisse conspiciuntur, nec dissimilis erit eventus ubi similia præcesserint.

CAP. II.

De subjecto imperante, seu Civibus reipublicæ imperantibus, & primo de Cæsaribus.

1. PRÆTEREA, ut Tacitus regibus olim Germanorum non infinitam fuisse & liberam potestatem prodidit, ita hac ætate constat imperii Romano-Germanici summam non uni Cæsari competere, sed principes & civitates in imperii societatem certis legibus devenisse. unde Germanorum rempublicam ex capite & membris con-

consistere dixit Thuan. 2. *Histor. inpr.* qui itidem principem & caput esse Cæsarem ait, secutus procul dubio Aureã Bullam *t.* 2. §. *ego enim archiepiscopus*, &c. & multoties Cæsares in recessibus imperii repetitum hunc honoris & potestatis titulum sibi attribuerunt. *R. A.* anno 1530. § *dergleichen* item anno 1566. §. *vvir vvollen auch, als Romischer Kaiser und Oberhaupt im heiligen Reich, &c.* Membra Imperii sunt Principes & civitates, qui vulgato jam nomine status imperii appellantur *R. A.* anno 1544. §. *als haben vvir*, &c. *eingeleibte glieder der Keyserlichen Majestat R. A.* an. 1541. in pr. item *glieder des Reichs R. A.* anno 1530. § *vveiter &c.*

2. Cæsarum appellatio principio non officii sed familiæ fuit, sed constituto à Iulio Cæsare regio dominatu, successores ut conditoris imperium sic & nomen

ſuſceperunt: Auguſti fere ſimilis ratio fuit. Imperatores ſtante republica appellabantur, qui exercitui cum imperio præfecti feliciter cum hoſte conflixerant; unde Cæſares poſtea populare primum imperatorum nomen ac proinde minus invidioſum ſibi indiderunt. Principes dicebant, qui à cenſoribus in ſenatu conſtituti, ut primi ſententiam rogarentur. Item eos, quorum inter cives præcipua erat autoritas. *Paul. Man. de Senat. Rom. & Plutarhus Ciceronem facile in republ. principem fuiſſe refert.* Et Valerius Maximus Metellum, poſtquam Africanum poſteriorem ſubito caſu interiiſſe audierat, exclamaſſe ſcribit: *interiit civitatis princeps.* Cicero paſſim Pompeium principem nominat. Sub his autem nominibus Cæſares principio invidioſam potentiam occultantes, omnia in imperium

rium acceperunt, unde ad posteros promiscua horum nominum appellatio defluxit], non familiæ jam aut splendoris sed potestatis significatio.

3. In principio autem imperatores successione imperium nacti ad Ottonem tertium Saxonem usque nunquam interruptam succedendi consuetudinē produxerunt: nec impedit quam plurimos Cæsarum antea violentis militum suffragiis vel senatus statuumque consensu esse electos, id enim nonnunquam vi contigit, sæpius deficientibus legitimis hæredibus: non certe quia succedere non licebat, sed quia successor deerat. Errore igitur ducuntur qui post Caligulæ interitum electionis principiū ponunt; accedere quidem his videtur Trebellius Pollio in Divo Claudio. *Quintillus frater*, ait, *Claudio ad sydera demigrante, vir*

ſanctus & ſui fratris vere frater delatum ſibi omnium judicio ſuſcepit imperium, non hæreditarium ſed merito virtutum. Sed quid juvat nos hic detineri diutius?

4. Hodie Cæſares ad faſtigium hujus Majeſtatis non defuncti imperatoris conjunctio, ſed Electorum ſuffragia provehunt, *Aur. Bull. tit.* 2.

5. Fit autem Electioni locus, quando eligendi Cæſaris neceſſitas emergit *Aur. Bull. d. tit. in pr.*

6. Emergit autem morte, reſignatione vel depoſitione Cæſaris: nonnunquam utilitatis publicæ cauſa viventi ſucceſſor deſtinatur etiam invito *art.* 32. *Capitul. Div. Matth. imperatoris.*

7. De morte fuſtra ſubjunxero. Reſignatio eſt libera Cæſaris voluntate rite facta imperatoriæ poteſtatis abdicatio. Licere autem imperatoribus imperii habenas ſua ſponte deponere,

Dio-

Diocletiani, Maximiniani Herculei, Lotharii primi & Caroli V. exempla declarant, & complurium autoritate docuit Buxtorffius *thes.* 10. *in dissert. ad Aur. Bull.* Sed negavit fas esse Cæsari Paulus 4. Pontifex imperium ejerare nisi Romanæ sedis autoritas interveniret, cui, si diis placet, soli de ejeratione & privatione decernere, divinitus datum sit *Thuan.* 21. *Histor.* indignæ ineptiæ, quas verbo refellas.

8. Liberrima Cæsaris voluntas requiritur, secus juramenti religione, quo devincti sunt Cæsari status & subditi, minime solverentur, qui legitimæ potestatis jugum vel invito, vel coacto Cæsari excusserint, prout contigit Carolo Crasso.

9. Quoniam vero resignatio nihil est aliud, quam debitę obedientiæ & subjectionis remissio: Intelligitur iis faciendam esse,

qui obedientiam debuerunt : ii vero procul dubio immediate sunt imperii status, quorum partes in Cæsaribus eligendis perpetuo privilegio sustinent Electores : coram his igitur imperatoriam dignitatem ejurandam esse efficitur: quid vero omnino juris est pontifici in Cæsarem & imperium ? sane si quicquam ad Papam imperium attinet ; aut superior Cæsare est & statibus , aut par, aut inferior. Si superior, nulla est Cæsaris statuumque majestas. non enim est summum , quo est aliud superius. Si par, quomodo æqualibus dominabitur ? præcipiendi sane potestas quæ vi imperii exeritur , extrinseca est , & propterea subjectum desiderat, quod succumbat agenti pareatque *Arist. 3. Eth. 1. quod vero succumbit , non est ei , cui succumbit æquale , quia æqualitas & potestas imperii differunt fundamento Relatio-*

lationis. Si inferior; quomodo leges ponet iis, à quibus accipere oportet? cæterum nequicquam de clavium potestate ineptiunt: Cardinales ad pontificis nutum pronunciare soliti, *inquit Thuan.* 21. *Hist.* ac delecti, ut & de Caroli cessione & inauguratione Ferdinandi dispicerent, responderunt: acta Francofurti, (ibi enim cesserat imperio Carolus) nullius esse momenti, cum non interverierit in iis S. S. autoritatis & Christi vicarii, cui claves cœlestis ac terreni imperii creditæ sint, sine quibus nec Carolus legitime imperio solutus, nec Ferdinandus in imperium recte successisse dici queat. Quid, quæso, absurdius dicam, an magis impium dici posset, quam claves cœlestis imperii pontifici datas esse? anne etiam servatoris nostri cœleste imperium à pontifice dependet? Christus dicit Matth. ult. mihi

data

data est omnis potestas in cœlo & in terra; credo scilicet à pontifice. Sed audiamus pontificem adhuc paululum, qui Gusmanno Cæsaris legato respondit. Quoniam Carolus apud nullum nisi se Cæsaream dignitatem ejerare, nec Ferdinandus eam citra consensum suum accipere possit, ipsum intra tres menses, iis, quæ à Cardinalibus proposita sint, satisfacere debere. Sed Ferdinãdus Cæsar, insulsas Carafæ pontificis quisquilias nihil moratus, continuo de re omni certior factus Gusmanno mandat, ut nisi post triduum à mandato accepto à pontifice admittatur, ipse rebus compositis Roma discedat, denunciatione ante facta, se quãndo à Cæsare ad pontificem sit ablegatus, ut ei more maiorem filialem honorem exhibeat, nec tam longo tempore non absque Cæsareæ majestatis imminutione

ne

ne ad mandata exequenda admitti potuerit, Roma discedere, ut Cæsarem de iis, quæ in hoc negocio intervenerunt, certiorem faciat: qui mox re cum VII viris deliberata id facturus sit, quod imperiali dignitati convenire videbitur.

10. De depositione Cæsaris periculosa & difficilis est commentatio. si quidem uni Cæsari tota rerum summa competeret, proclivius quid certi definiremus, quippe constaret, nondum perrupto penitus reipublicæ vinculo, consistere imperandi relationem atque parendi, agendique ac proinde depellendi magistratus potestate subditos destitui; ut ut principes iniquissima, quæ tamen reipublicæ fundamenta non afficiant, admiserint. egregie disseruit in hanc sententiā eruditissimus Arnisæus *in lib. de potestate in principes sēper inviol.*

11. At

11. At vero cum imperii leges non omnem imperatori majestatem deferant; pendeat facile quisquam animi, utrùm imperator legitima etiam potestate continuo ceciderit, si datæ potestatis limites transgressus, ea quoque usurpet, quæ capitulationis legibus sine statuum suffragio exequi non licuerunt, vel non abusus potestate legitima: Arnisæus ex conventionis legibus depelli imperio posse non dubitat, *d. lib. de princ. pot.* &c. *c.* 1. propterea, quod Alciati aliorumque judicio, domino prius frangente fidem subditi quoque conventionis legibus liberati censeantur, quas ipse princeps irritas prior habuisset. adducitur Glossa, Alexander: Carer. & Episcopi Moguntini de abdicatione Henrici quarti dicterium. Reinkingus paulo liberius: de principibus sine discrimine de-

tur-

turbandis decernit. *lib.* I. *claſſ.* I. *c. fin.* Sed vereor, ut ad principia politica congruentia dixerint. næ enim ille iſtiuſmodi conventiones non ſatis aſſequitur, qui imperium potius iis dari, quam denegari exiſtimat. excipiuntur inquam his conventionibus imperii partes, quas in principem non conferunt Electores, ſed ſibi ſtatibuſque reſervant, in ſtatuum pariter & Cæſaris moderamine relictas: non detractæ vero his legibus, imperii partes, iiſdem conditionibus in Cæſarem tranſeunt, quibus abſolutæ poteſtatis princeps perfruitur, ut proinde principes diviſam majeſtatem adepti, quantam & quatenus adepti non alia ratione perdant, ac ſi abſolute rerum potirentur. non excidit igitur convenienti poteſtate Cæſar, etiamſi debiti imperii terminos tranſiliverit, nec, opinor, cohibebit aſſenſionem

nem vir doctissimus, si sua ipsius argumenta, quibus tantopere principum authoritatem munivit, ut par est, interpretabitur, nam earum majestatis partium dominus constituitur imperator, quasquas ipsi Electores contulerint.

12. Capitulatio vero de data potestate nihil imminuit, sed quas majestatis partes non impertiant Electores, declarat, & si paulo profundius penetraremus rebus potius quam verbis dediti, nulla pene deprehenderetur conventio. ecquid enim conventionis est, si de re mea tibi indebita non danda paciscerer? ecce vendo tibi fundum, tertia parte detracta: numnam de parte, neque vendita neque tradita convenisse judicabor? digna profecto tractatio, quam uberius exequeremur. sed habenda est ratio instituti.

13. Sed

12. Sed cum fieri non possit, quin omnis respublica, quæ suo imperio regitur, absoluta rerum omnium sit domina, sive in uno sive diversis subjectis Imperii potestas sita sit, sequitur omnino, de rerum partibus, quarum moderatio in Cęsarem non transivit, status cum Cæsare conjunctim statuere, ac aristocratice dominari. unde efficitur frustra quæri, an liceat defugere Cæsaris imperia, ubi solus imperandi potestate non polleat. impune quippe negligitur jurisdictio, quæ potestatis limites egreditur, nec ibi inobedientia est, ubi nulla imperandi potestas, quæ vero solius Cæsarei sint imperii, & quæ conjunctim principes temperent, divisa suo loco rerum genera demonstrabunt.

13. Cæterum vivo adhuc Cęsari unanimi Electorum suffragio Cæsarisque assensu succesſo-

rem subiungere permissū est, si id ex usu videatur: sed sine Cæsaris consensu Electionē irritam dicit Buxtorffius. sed id ex Aurea Bulla vix convenit, si modo Cæsar negligentius rempublicam administraret, omitto capitulationem, quæ & invito Cæsari successorem substitui posse diserte declarat. Capit. Matth. & Ferdinand.

14 Ergo, si, ut diximus, his casibus imperium vacet, vel alias usui sit imperio, Carolina constitutio Electores creandi Cæsaris necessitate astrinxit, *Aur. Bull. tit. 1. in pr. d. tit. 4.* Moguntinus, Trevericus & Agrippinas Archiepiscopi. Rex Bohemiæ, Palatinus ad Rhenum, Saxo & Brandeburgicus septemviri hoc munere funguntur *d. c. 4.* Seclusis aliis imperii ordinibus, quos ante Friderici secundi Imperium sæpius eligendis Cæsaribus interfuisse proditū est, de quo postea.

15. Post-

15. Postquam igitur Moguntino de Cæsaris obitu innotuit, intra mensem à die notitiæ, Electoribus cæteris, literis denuntiat *Aur. Bull. t.* 1. §. *cum autem & tit.* 18. ut intra tres menses à certo & expresso die, quo verisimile est, intimationis, quas vocant, literas redditum iri, Francofurti conveniant ipsi, aut missos cum sufficienti mandato legatos præfinito tempore præsto esse jubeant, Cæsaris eligendi causa *Aur. Bull. tit.* 1. §. *præterea.*

16. Nec trimestre spatium publica lege definitum suo solius arbitrio restringere poterit Moguntinus, tum quia jus publicum non est in ipsius manu, tum quia Electorum jura ne Cæsari minuere licet: *Aur. Bull.* 2. §. *& quia.* Sed tenentur inservire Imperio Electores, si citius eos convenire reipublicæ usus requireret, Buxtorff. *d. disputat. thes.* 20.

17. Si vero superſedeat Moguntinus ſuo muneri, ſua ſponte vel mutuo admoniti ſeptem viri, Francofurti convenire juſſi ſunt, Cęſarē electuri *d. t.* §. *cum autem.*

18. Illegitima vero eſt Electio, ſi Moguntinus quibuſdam vocatis unum atque alterum omiſerit *arg.* §. *debet autem.* nam ad Electiones & collegiorum actiones, omnes vocari debent *c. bonæ memoriæ c. quod ſicut* §. *ſi autem de Electionib. c. cum in eccleſiis eod. in 6. Fachin. conſ.* 55. *vol.* 1. Conſiſtere quidem initio Electionem Buxtorffius autumat, ſed à contemto & ratam & irritam haberi poſſe, *d. diſput. th.* 18. & 19. de quo magnopere dubito, cur enim non acceſſit vel non vocatus? conveniant, ait imperator, motu proprio, ſi Moguntinus in intimatione & executione fuit negligens, etiam nō vocati. *d. loc.* § *cum autem.* Si, inquam, negli-

negligens fuerit Moguntinus, an igitur sola negligentiæ culpa putanda est, si aliquibus citatis, alios habeat contemtui? non temere sed subdolo consilio præteriti forte viderentur. quid igitur? rem nullibi definitam nec ego definio. Prudēter sane Principes ultro advenerint, quia Electio jure publico ipsis, non vocatione Moguntini tributa est.

19. Quid igitur, si negligentia Moguntini fiat, ut proprio motu principes convenire oporteat? constiteritne Electio, uno atque altero non sponte advolante? an vero congregati Electores absentem adventus admonere debebunt? Electionem ratam putem: etenim ultro unicuique conveniendi necessitas incubuit; ergo propria cujusque absentiæ culpa complurium vota non impediet *d. loc.* §. *cum autem &* §. *seq.* prudenter sane prin-

cipes de adventu interpellabunt absentes, ut turbarum occasio evitetur.

20. Electores Ecclesiastici æque ac politici ordinis, illi nondum confirmati à pontifice, neque à Cæsare investiti, hi octodecim annorum Electioni Cæsaris interesse possunt *Aur. Bull. t. 7. Heig. 1. quæst. 4. Buxtorff. in d. disp.*

21. Loci quidem non usque adeo præscisa necessitas est, ut Ruperti Electio, quem Bopardię elegerunt, declarat *Penc. lib. 5.* non temere tamen Electores quid in republica innovaverint.

22. Coacti jam Electores ad formulam præscriptam jurisjurandi religione obstricti aggrediuntur opus, ac quem intra triginta à præstito juramento dies Germanicæ stirpis vel unanimi consensu vel plurium suffragiis eligunt, is legitimus Imperator rite

rite haberi solet *Aur. Bull. c.* 2. §. *præstito & §. postquam seq.* usque adeo, ut unus Electorum à tribus aliis electus sibiipsi suffragari, ac addito proprio voto dissidentes numero suffragiorum vincere possit *d. tit.* 2. §. *fin.*

23. Quod autem de dierum numero addidimus, non eo pertinet, quasi præterito triginta dierum decursu, eligendi potestatem obseptam velimus, sed quod Electoribus non sit impune, si ultra electionem protraxerint: nam exacto triginta dierum curriculo, neque dum edito Cæsare, pane solum & aqua vivere jussi sunt, usque dum hac cibariorum tenuitate commonefacti maiori saltem votorum numero in Cæsarem consipirent *d. loc.* §. *præstito* &c.

24. Recedere quoque Francofurto Electores jure non poterunt, priusquam Imperatorem

prodiderint *d. loc.* & quoniam hæc Carolina constitutio communi Cæsaris omniumque procerum consensu munita est *Aur. Bull. in præm.* Non licet Electoribus contra niti aut propria autoritate publicæ legis vigorem pervertere, jurejurando etiam ad præscriptam regulam devincti. eius enim est abrogatio, cuius institutio legum; ut ex principiis politicis liquidum est. Et eligendi facultas septemviris non jure majestatis, sed perpetui magistratus competit, quem nomine & consensu totius Imperii consecuti, aliter gerere non possunt, quam ad publicarum legum amussim: exemplo omnium magistratuum.

25. Sed & legitime citati Electores ius suffragii tum quidem amittunt, si neque ipsi, neque per procuratores Electioni interfuerint, aut presentes ante Electum

Cæ-

Cæsarem receſſerint *Aur. Bull. c.* 1. §. *debet autem.*

26. Electus denique hoc pacto Cæsar non prius imperii administrationem ſuſcipit, quam Electoribus jura & immunitates illibatas fore, ac ſancte capitulationem ſervatum iri receperit. *d. loc.* §. *& quia* &c.

26. Quo facto libera ſtatim adeundi imperii facultas eſt, nec eſt, quod Pontificis Romani confirmationem ſeu approbationem moretur, ut ſolidiſſime docuit Georgius Sigiſmundus Seldus, Caroli V. Ferdinandi primi, ac Maximiliani ſecundi, Cæsarum Cancellarius. *In ſeinem bedenken an Kaiſer Ferdinand von der vvahl* & Gold. paſſim luculenter comprobavit. Ingeminant Pontificii identidem & Bellarminus præter cæteros confirmationem pontificis & eidem à Cæsaribus promiſſam obedientiam:

unde cassam Cæsarum potestatem contendunt, pontificia autoritate nondum probatam; sed ipse Ferdinandus hanc obedientiam ita accepit, ut se iam ante confirmationem Augustum appellet, seque more majorum Ecclesiæ Rom. omniumque aliarum præcipuum patronum, tutorem & defensorem fore polliceatur. Et licet morosus Carafa ob recentes cum Austriacis simultates: principio Gusmannum ut Cæsareum legatum admittere recusaret, instanti tamen ex mandato Cæsaris Legato cedere coactus est, ac ipsum ut Cæsareum Legatum, non enim aliter voluit Gusmannus, audivit Thuan. 21. *Histor.* summa fere legationis fuit: facturum Cæsarem ut primo quoque tempore veteri & recepto more de coronatione sua honorificam ad pontificem legationem adornaret, nec

am-

amplius quicquam. Ex his & similibus pontificii Romanæ sedis confirmationem hactenus asseruerunt: perinde quasi Colonienſis coronando Cæſarem faceret: argumenta quidem alia pontificiæ in Cæſarem autoritatis conglomerant: ſed magnam partem ejus farinæ, ut ad rem nihil magis attineant, quam Cupreſſus ad naufragium. ut videre eſt ex Onuphrio, & Aventino, & Goldaſto: Petrus Herp. Monach. Francof. *in Chr. Francof.* de Ludovico Bavaro; *Legem*, ait, *Imperator edidit talem: Electus Francofurdia in Imperatorem à principibus Electoribus, adminiſtrationem Imperii habet plenam, Rebdorfienſ. in anno 1339. Nuncii imperatorii domum Roma reveniunt. Principes Electores conveniunt, & per juramenta ſua diffiniunt, quod Electus in regem Romanorum à Majore parte eligentium plenam habeat*

pote-

potestatem in administratione imperii.

28. Atque hæc quidem de Cæsare rite constituendo, qui si solus dominaretur, expedita esset imperantium definitio, sed cum proceres imperii in multis cum Cæsare concurrant, de illis quoque discipiendum est.

CAP. III.

De Principibus & Statibus Imperii.

1. PROCERES autem propter illam Imperii communionem, statuum nomine insigniti sunt, ac non incommode fortassis describuntur, *singulorum Territoriorum Domini, qui una cum Cæsare imperandi potestatem habent.* vel secundum alios, *qui jus sessuræ & suffragii in Comitiis habēt: Paurm.* 1. *de jurisd.* 6. *&* 8. *Steph.* 2. *de jurisd. part.* 1. *c.* 4. *n.* 30. includit definitio,

nitio, si in potentia, ut par est, acceperis, etiam illos, qui in Imperii collegium cooptati sunt, nullam dum in Comitiis actu sessionem sortiti. *Dec. comit. ann.* 70. §. *nach dem auch Petr. Denaiſ. pr. jur. Cain. tit.* 287. *n.* 3.

2. Licet vero nullo certius argumento jus status probari possit, quam consuetudine lati in Comitiis suffragii, aut allegentis imperatoris in statuum consortium facto & consensu. *arg. dec.* 1. *anno* 70. § *nach dem auch*, aliis tamen idem indiciis cognoscitur. Etenim in Album seu Matriculam Imperii recepti statuum loco censentur *Gail.* 1. *obs.* 21. *n.* 7. *Frid. Mind.* 2. *de proceſ. c.* 67. *n.* 4. adeo ut ex matricula pro statu juris oriatur præsumtio. *Gail. d. obs. n.* 3. & 9. Et cum varient matriculæ præcipuam semper habendam esse rationem, quæ ann. 21. in Comitiis Wormatiens. digesta

gesta est. Statutum est. *recess. Imp.* 76. *Denais. jur. Cam. tit.* 191. §. 9. Confert quoque aliquid argumenti, si quis indictiones, contributiones & collectas Imperii pro rata sua quolibet tempore solverit *Gail. d. obs. n.* 9.

3. Et hinc procurator fisci, qui officii ratione de statibus eximendis disquirere tenetur, ita libellum formare solet. Eximendus imperii Albo jam olim ut status inscriptus est. 2. Feuda, dignitates, & Regalia ab Imperatore & Imperio immediate recognoscit. 3. Ad conventus & Comitia Imperii perinde ut alii status vocatur & comparet. 4. Habet in Comitiis Sessionem & votum. 5. Pro rata contribuit, utique igitur in possessorio obtinere debet, cum habeat præsumtionem pro se. *Gail. d. obs. n.* 9.

4. Etsi autem hæc Imperii communio per se ex ditionibus non

non profluit, hodie tamen non reperias cuiquam in comitiis locum fieri, qui non sublimis territorii jura in propriis ditionibus obtineat. Atque adeo territorio innexa videtur suffragii potestas, ut nonnulli pro ratione diversarum ditionum, votorum pluralite emineant. *Bertram. in disp. de Comit.*

5. Et ex hoc porro suffragii jure statuum superioritas hodie derivanda est, si regiam & sublimem illam jurisdictionem statibus, non verborum lenociniis, sed reapse astruere & volumus & possumus.

6. Etenim ut inter cives omnis Imperii potestas jurisdictionis ambitu continetur, *Paurm. passim de jurisd.* Sic omnis jurisdictio, ut supra ex ipsis fontibus ostendere studuimus, vel formalis est & independens, ac proinde suprema & majestatica; vel depen-

pendens, precaria ac magistratus jure competens. Ergo sublimis, ut vocant, statuum jurisdictio seu superioritas, itidem est, ut ita loquar vel majestatica vel magistralis seu dependens. Si magistralis ac dependens, quî obsecro, erit regia? numnam regiam jurisdictionem in dignitatum nominibus consistere potius, quam formali potestate putabimus? nos quidem in parte prima ne inveteratis erroribus duceremur, ex natura imperiorum, *Iurisdictionem esse potentiam activam, gerendæ reipublicæ* demonstravimus, quæ regio splendore, *non sit* necessario conspicua, *igitur regia jurisdictio, est majestatica seu prima potestas administrandæ reipublicæ*, & contra quæ quanta quanta est, aliunde dependet tota, nomine quidem regia appelletur, non pugno; at reipsa eam jure magistratus tantum

tum convenire contendo.

7. Et vix consistere potest, quod Knichius vir sane doctissimus tradidit 1. *de sublim. & reg.* 1. *n.* 216. *& seq.* ubi, inquit, *quemadmodum Cæsari in toto orbe competit omnimoda superioritas, jurisdictio & dominium, ita etiam principes sibi vindicant & jurisdictionem in suis territoriis erga subditos.* Quæro, si Cæsaris est in toto orbe jurisdictio, anne & ejusdem in singulis principatibus? certe aliter fieri nequit, quin totius orbis jurisdictio singulas partes comprehendat, quæ igitur est principum superioritas? poterit-ne Cæsaris simul in eodem Principatu suprema esse jurisdictio & itidem Principis? numnam duo sunt in uno ordine primi?

8. Paurmeisterus admodum peritus jurium imperii 1. *de jurisd.* 3. 6. & 8. supremam Principum jurisdictionem, simpliciter de-

pendere existimat, similiter *Schrad. de Feud. part. 4. c. 1.* ex quo necessario sequitur, principes in suis ditionibus esse tantum magistratus; quod, haud scio, an non longe sit quam illud Knichii inconvenientius. Etenim magistratuum jurisdictio non potest non aliunde dependere, ac idcirco eam supremam dicere contradictio est, sustulit igitur Paurmeisterus superioritatem principum ac exuit potestate, quam ne Cæsar quidem potest pro arbitrio adimere.

9. Quid igitur? omnis iurisdictio vel est in sacris vel profanis, in iisq; vel constituit ius vel reddit: Est deniq; apud Cæsarē solū, vel apud Cęsarem & status simul.

10. Reddendi iuris potestas hic & hic est tota Cæsaris, adeo ut ne comitia quidem de hac quicquam participent.

11. Constitutio juris in sacris

per

per religiosam pacificationem fere statuum facta est.

12. Constitutio vero in profanis, partim est solius Cæsaris, partim communis Cæsaris & statuum, ut infra ex divisis rerum generibus clarebit.

13. Iam vero in illis quæ solius sunt Cæsaris, nulla est principum (quo hic promiscue omnes status accipio) superioritas, sive suprema jurisdictio luculentissimo argumento est summa Cæsaris reddendi iuris potestas, quę adeo adhuc propria est Cæsaris, ut omnium Jmperii principum sententiæ, Cæsareæ jurisdictioni subiaceant, ne Electores quidem excipio, quorum jurisdictio si non appellando, supplicando certe Cæsari subiicitur, patiturque Cæsaream iurisdictionem superiorem. *Gail. Knich. & alii usu edocti.*

14. Imo ubi constituere de

iure solius est Cæsaris, ibi nulla fere est statuum iurisdictio, nedum ut sit suprema, verbi gratia: Ducum, Marchionum, imo Doctorum creatio tantopere est Cęsareæ iurisdictionis, ut nec in comitiis Principes, multo minus seperatim, quicquam harum rerum possint.

15. In quibus autem statuum & Cæsaris communis est jurisdictio, ea ad comitia spectant & exinde principum superioritas petenda est.

16. Quoniam igitur principes ditionibus innixi ratione subiecti territorii in comitiis suffragia ferunt; earum rerum quæ in comitiis peraguntur, in suis ditionibus supremam atque adeo maiestaticam iurisdictionem principibus competere breviter explanabo.

17. Res igitur in comitiis decernendæ, per suffragia statuum

inter

inter se, & postea statuum & Cæsaris conventione definiuntur, ubi nec Cæsar statibus, nec status sibi mutuo statuendi potestatem impertiunt, sed quisq; independēter suffragandi facultate pollet, & licet superentur suffragiorum numero, non tamen superantur, quatenus effective in ordine longitudinis, causanti succumbunt, sed quatenus in latitudine oppositi contrario robori cedere coguntur, nec ullius votum est causa alterius, ergo nec vota omnium, quia nihil est in toto collectivo, quod non conferant partes, si igitur nulla ineſt partibus causatio, quomodo eam in totum contribuent? admitteretur etiam in caussando circulus, quæ absurditas in nulla disciplina, nedum in prudentia civili secundum Aristotelem, omnium præstantissima, ferenda est.

18. In rebus igitur ad comitia ſpectantibus principes in ſuis ditionibus habent majeſtatem ſeu ſupremam iuriſdictionem, quam ſuperioritatē vulgo appellamus, eaq; quamdiu in comitiis votorum numero nō ſuperata vel revincta eſt, eſt liberrima, nec Cęſari nec cuiquā principum ſuppoſita, & utcunque ſuperetur, non tamē deſinit eſſe ſuprema quoad dependentiam, etenim non à comitiis ut priori puta cauſſa vel efficiente vel formali dependet, quatenus magiſtratus à majeſtate eſſe ſuum accipiunt. Sed quaſi vi contraria, legitima tamen, in latitudine oppoſita ſuccumbit, ſimiliter ut in conflictu unus à pluribus ſuperaretur, non vi cauſalis dependentiæ, ſed contrarii oppoſiti, quod debilius oppoſitum robore contrario ſuperaret.

19. Quæ recte intellecta decantatam principum ſuperioritatem

tatem tandem patefacient, de qua multa quidem eximia à doctissimis viris tradita accepimus, sed tamen interspersa ejusmodi, ut non hanc solum partem, sed totam fere juris publici scientiã infinitam & verborum potius dulcisono strepitu, quam indubitatis & realibus principiis insistere existimes: dicunt principem tantum in suo territorio posse, quantum Cæsarem in universo imperio, & postea rebus hæc axiomata applicaturi ita se parant, ut videas, quæ dixi, accidere.

20. Vacillatne igitur hæc summorum virorum definitio? consistit si de Cæsare prolatam de comitiis acceperimus. Etenim quæ in comitiis quo ad totum imperium, statuuntur, ea principes comitiorum participes in suis ditionibus independenti potestate administrant, nisi legibus

publicis mutuo obligati alicubi impediantur, nam iis sive propria conventione, sive numero victi parere coguntur: Quæ vero solius sunt Cęsareæ maiestatis, in universo imperio ac proinde in singulis ditionibus, in iis principes à Cæsarea majestate dependent. esse quenquam supremum, & eatenus nihilominus dependere manifesto implicat.

21. Intelligitur ex superioribus, si quæ civitates utcunque immediatæ jus comitiorum non habeant, eas pariter ut nobiles immediatos superioritatem non habere: sed quicquid in jure dicundo potuerint, id ab Imperii vel imperatoris maiestate descendere; & quo minus Cæsar iis pro arbitrio possit eripere jurisdictionem, fieri vel privilegio, vel conventione, vel alio aliquo juris privati argumento, quod

Cæsa-

Cæsarem, quia jurisdictio in commercio esse cœpit, subvertere iniquum sit. unde & statuum jurisdictio, quę in reddendo jure consistit, defenditur, licet Cæsareæ jurisdictioni penitus subjecta sit, & hæc quidem aliquanto alieniori loco, sed tamen occasione juris statuum differere placuit.

22. Præterea quoniam in Imperii comitiis per tres classes suffragia feruntur, consentaneum est status in triplici quoque differentia proponere.

23. Distribuuntur igitur in Electores, Principes, & Civitates Imperiales.

CAP. IV.

De Electoribus.

1. ELECTORES sunt Septemviri, qui eligendi Cæsaris jus habent; quo vero temporis articulo jus eli-

gendi Cæsaris & à quo ad septemviros modernos reciderit, varii magno conatu exquisiverunt. Bellarminus *lib. 3. de translat. Imper. Rom. c. 3.* Gregorium V. autorem facit; adductis in eam sententiam & historicis & decretis pontificum. *Meibon. in not. ad lib. 3. Monar. Sleid.* alios quoque insuper recensuit, quos refellit Illyricus, *in lib. de translat. Imp. Heig.* & solidissime *Goldast. & Arnisæus.* Otto quidem Imperator, primus instituit ne alius Imperator eligeretur quam Germanus & nisi ab iisdem Sigon. *lib. 7. Hist. Ital.* nequaquam tamen ad septemviros statim eligendi potestas decucurrit: imo Cæsares usque ad Henricum V. legitima successione Imperium adibant, & Gregorius septimus pontificii dominatus autor, Cæsarum successionem turbare primus sustinuit, Goldast.

dast. *in replicat. pro Imp. c.* 18. tametsi enim post excisam Caroli prosapiam Imperatores eligi oportuit ; id tamen nunquam contigisse legitur, nisi legitimus successor deficeret. Et Henricus Bambergensis Ottonis III. sobrinus, hæreditario sibi jure Imperium deberi , contra Colonienſem contendebat, ut ut procerum consensu Cæsareo jubare fulgeret; Et Henricus VI. offensus perturbationibus Imperii, quæ ex invalescente jam electionis iure suborta fuerant , pristinam succedendi consuetudinem lege lata reduxit *Ioann. Monach. in magn. Chron. Belg.* quod edidit Ioann. Pistor : ubi erant igitur tum temporis septemviri ? quotquot deniq; ante Friderici II. tempora eligendo fuerunt ad Imperii culmen evecti , communi suffragio statuum id assecuti inveniuntur. Cunradus Suevus promiscuo

prin-

Principum consensu, vacua tum temporis sede Moguntina, Saxone etiam & Norico prorsus non vocatis, Cæsaream dignitatem obtinuit: *Otto Frising. lib. 7. c.* 27. & Fridericus qui Cunradi Imperium excepit, ab omnibus totius Germaniæ principibus electus est. *Otto Frising. 2. de reb. gest. Frid. c.* 1. Cunradus item Salicus communi procerum suffragio Imperium obtinuit *Vrsperg. in Chron. ann.* 1015. qui inter alios etiam Bambergensem Episcopum annumerat. præcelluit quidem iam inde à Friderici primi temporibus Moguntini autoritas, cui ipse Fridericus se primam sui Electionis vocem debere confitetur apud *Radev. lib.* 1.

2. Audebo dicere, si quis unquam Imperatorum septemviros certo definiit, feciſſe id Fridericum II. modo asserere liceret, eum hoc pacto Electoribus eli-

eligendi potestatem feciſſe, ſi nemo ex ſe genitus ſupereſſet. idque proclivius dixerim; quod poſt primogeniti Henrici, miſerabilem interitum, ad Cunradum paterna potiſſimum autoritate Imperium devenerit, cui Electores Wormatiæ aſſenſerunt. anno 1235. qui poſtquam Manfredi nothi fratris ſcelere oppetiiſſet: Wilhelmus Hollandiæ Princeps, primus, ut opinor, ſeptemvirorum ſuffragiis Imperator dictus eſt. *Trith. in Chron.* Ante Friderici vero II. ætatem ſeptemvirorum non meminiſſe hiſtoricos, prodidit Thuan. 2. *Hiſt.* Martinus vero Polonus, qui à Friderici Imperio ad Rudolphum ætatem produxit, diſerte tam nomina quam officia ſeptemvirorum deſcripſit, additis verſibus, quos repetit *Papaberg. de jurib. Imp.*

Mo-

Moguntinensis, Trevirensis, Colonienſis
Quilibet imperii ſit Cancellarius horum
Et Palatinus dapifer. Dux portitor Enſis
Marchio præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus.
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

Quicquid eius ſit, certe ante annum CIↃ CCLXXIII. ſemptemviros cœpiſſe neceſſe eſt, eo namque anno Peucerus ſeptemviros Rudolphum elegiſſe tradit. 5. *Chron.* Et quo minus principio conſuetudine ad hos ſeptem ius eligendi Cæſaris deveniſſe exiſtimem, facit, quod rerũ Germanicarum Scriptores ad Friderici uſque tempora, eligendis Imperatoribus comitia ab omnibus Imperii Principibus ſive ſacris ſive ſolutis nullo diſcri-

scrimine celebrari solita concorditer memorent : Thuan. 2. *Histor.* ac Wilhelmum anno CIↃ CCIIII. vivo adhuc Friderico, qui anno CIↃ CCL. è vita migravit, à septemviris electum fuisse proditum sit *Trith. in Chr.* quem anno quarto, post, evulgata jam Friderici morte, ab Innocentio pontifice Lugduni approbatam ferunt. Ecce potestatem, perquam exigui temporis conciliatam decursu: decursu autem! imo nec quicquam temporis inter Fridericum & Wilhelmum interfuit vivo scilicet Friderico electum; ne tantillum igitur idonei temporis spatium Electoribus Cæsaris dicendi potestatem adjicere potuit. Etenim Electores tum demum cæteris Imperii membris promiscuam eligendi facultatem præscribendo eripere potuerunt, quando Cæsaris creandi jus potuit competere: atqui

atqui vivo Friderico, ut ut diris pontificum machinationibus exauctorato, alium eligere non licuit, & ut licuisset, non tamen fuit electori juris quasi possessio acquisita, antequam eam cæteris exclusis semel saltem eligendo occuparent. nulla autem præscriptio sine possessione contingit *l. 25. ff. de usucap.* quid igitur eligendi Cæsaris potestatem Electoribus Friderici constitutione obvenisse dubitem, non video.

3. Electores autem sunt Ecclesiastici vel Seculares.

4. Ecclesiastici Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis Archiepiscopi. Seculares: Palatinus Rheni; Saxo, Brandeburgicus & Rex Bohemiæ.

5. Hi autem virtute principatuum suorum sunt legitimi Electores *Aur. Bull. tit.* 7. quod eo pertinet, ut si Palatinus Palatinatum:

matum: Saxo Electoralem Saxoniæ ducatum, Brandeburgicus item Electoralem terram, ac Bohemus Bohemiam, & denique quam quisque Archiepiscopus ditionem regit: legitimo titulo & jure acquisierint eligendi Cæsaris potestatem obtineant. Ex quo efficitur, jus Electionis personæ non simpliciter cohærere, sed quatenus Electoralem ditionem legitime obtineat.

6. Bohemus ab indigenis regni proceribus per suffragia constituitur *Aur. Bull. t. 7.* adeo ut quem secundum regni leges prodiderint, is ab Imperatore in regno adeundo impediri nequeat *Aur. Bull. t. 7. & t. 2. § & quia.*

7. Palatinus, Saxo & Brandeburgicus successione similiter constituuntur, vel si desint successores, potestate Imperatoria. *d. c. 7.*

8. Succeditur vel jure familiæ

vel pacti gentilitii, quod confraternitatem dicunt.

9. Successio ex pacto delata proculdubio etiam Electoralem autoritatē adiicit, cum qui legitime electitiam ditionem adierint, iidem virtute principatuum una cum cæteris Electoribus jus, vocem & locum habeant. *Aur. Bull. t.* 7. nec dubitemus hujusmodi fœderatos legitimo successionis jure niti, si Imperatoris accesserit confirmatio *VVaremund. in meditam. pro fæd. Reusn.* 1. *cons.* 20. *Knich. de pact. invest.*

10. Sed magnopere attendere attinet, Electoratum nō tam patris beneficio quā legibus Imperii deferri: & sanguinis coniunctionē esse subiectum potius, quā causam successionis ac primogeniti prærogativam paterno arbitrio non succumbere. In eandem fere sententiam scripsit Franciscus II. ad Helvetios, qui negat se adeun-

adeundo regno paternam hæreditatem creviſſe, ſed lege regni, quæ jam inde uſque a primis Francorum regibus lata, ad mares proximos regnum deferret, ſibi obtigiſſe imperium. *Bodin.* 1. *de republ.* 8. *Hotom.* 2. *de ll. regn. Franc.*

II. Unde primogenitus proprio jure, qui per primogenituram determinatur, ſimul atque in lucem editus eſt, jus ſucceſſionis adipiſcitur, quocirca mihi vim primogenituræ non ſatis perſpectam habere videntur, qui jure repræſentationis vel transmiſſionis ſucceſſionem obtingere diſputant. recte *Laudenſ. reſp.* 7. *n.* 37. *pro regn. Portug. ceſſat repræſentatio ubi jus primogenituræ obtinet.* & hinc IC^ti primogenituræ jus inſtantaneum & qualitatem momentaneam dixerunt *Tiraq. de primog. Roland. à Valle Conſ.* 39. *n.* 49. *lib.* 4. *Menoch. conſ.* 981. quaſi dice-

dicerent, illo editi primogeniti momento acquiri, non temporis lapsu suspendi.

12. Ea vero familiæ successio vel est descendentium vel Agnatorum.

13. Descendentium nomine hic veniunt omnes à primo acquirente propagati *arg. t.* 24. § *decernimus* &c. idque in regalibus feudis quam maxime servari testantur *Covar.* 3. *var. resol.* 15. *n.* 4. *Zas. & alii.*

14. Quoniam vero descendentes non promiscue sed ordine genituræ succedunt *Aur. Bull. t.* 7. *&* 24. veluti: si primogenitus sine liberis decesserit, secundogenitus, & si hic sine liberis decesserit, tertiogenitus admittitur. *Aur. Bull. d. loc.* apparet, ut se habet primogenitus ad secundum, ita secundogenitus ad tertiogenitum.

15. Atque ea est conditionis,

si sine

si sine liberis decesserit, ratio, ut omnis primogeniti posteritas secundogenitum & secundogeniti pariter tota progenies, succedendo antevertat tertiogenitum. *Tiraq. de jur. primog. quæst.* 10: *Castrens. cons.* 164. *lib.* 2. *Roland. à Vall. cons.* 39. *n.* 47. *vol.* 4. imo hanc constitutionis mentem ipse Carolus Imperator expressit in Bulla Francofurt. dom. Saxon. verba sunt: *Si primogenitus ducis VVenceslai præfati decesserit, masculini sexus laicis duntaxat, legitimis hæredibus non relictis: ex tunc secundogenitus filius VVenceslai, Ducis prædicti & post mortem eius secundogeniti filius senior, laicus & si secundogenitus sine hæredibus legitimis masculini sexus laicis decesserit, tertiogenitus* &c. *perpetuis temporibus obtinebunt per successionem hæreditariam & paternalem, ut præmittitur ex ordine genituræ.* eiusdem sententiæ est Bulla

Palatina à Sigismundo anno 414. Ludovico data apud Goldast. *part. 2. der Reichssakung.*

16. Et eo magis consentanea videbitur sententia, quo momento nativitatis confestim succedendi ius acquisitum manifestius intelligetur. Ipso igitur nativitatis vestigio ius ex primogenitura succedendi acquiri, non tempore delatæ successionis, tantum non diserte deciditur *in d.t. 7. Si elector esse desierit*, verba sunt Bullæ, *jus, vox & potestas ad primogenitum : illo vero non existente ad ejusdem primogeniti primogenitum* &c. ubi nepos primogeniti, cuius pater nunquam vivo avo Electoratum obtinuit, ad successionem vocatur, qui si ius primogenituræ tempore delatæ successionis spectaretur, ex primogenitura admitti nequiret, quippe cuius parens ante quæsitum ius primogenituræ obiisset.

unde

unde collegero, omnem omnino primogeniti propaginem, iure primogenituræ, secundogenitum eiusque sobolem qua ætate, qua gradu potiorem antecedere. *accedunt Menoch. præs. 71. n. 10. Zas. cons. 8. n. 3. lib. 1. Castrens. cons. 164.*

17. Simpliciter item lex Carolina secundogenitum vocat, obeunte sine liberis primogenito: ergo simpliciter deficit conditio, si primogenitus non sine liberis obierit, quod procul dubio accidit cuiusvis gradus relictis nepotibus *arg. §. fin. Inst. Qui testam. tut. dar. poss.* Et vulgata regula: *Quod substitutus substituto, censeatur substitutus instituto*; primogeniti posteros secundogenito anteponit, utcunque primogenitus morte interceptus actu succedere nequiverit. adeo scilicet hæc quoque successio ad regulam vulgaris substitutionis vel

fideicommissi puri congruere videtur, ubi pluribus certo ordine vocatis ius quidem quæsitum est, etiamsi successionis ordinem expectare cogantur.

18. Sed iisdem ponderibus primogeniti posteritatem ad secundogenitum, & huius posteritatem ad tertiogenitum exigimus: ipsa quippe ratio naturalis nascendi & successionis ordinem præfinit. ac si tota posteritate primogeniti excluditur secundogenitus, nomine secundogeniti, tota eius prosapia excluditur. quid ita? aut vivo aut mortuo secundogenito, deficiet primogeniti posteritas. Si vivo, quorsum de re manifesta Imperator tam anxie cavit? ecquis poterit hic est propior? ecquis senior? sin mortuo, aut frustra Cæsar de mortui prærogativa statuit, aut secundogeniti nomine eius soboles intelligenda est.

Ergo

Ergo aut ineptiis illigemus Imperatorem : aut secundogeniti nomine totam eius progeniem complexi, totam progenie tertio genito præferendam statuamus.

19. Frustra sunt, qui hic de propiori ac seniori obiiciunt, hæc enim gradus ætatisque prærogativa non simpliciter ponitur, sed in ordine genituræ, & quatenus quisque primo vocatus est. Sed non licet nobis hic esse longioribus : exstat erudita commentatio Engelbrechti. verbo igitur.

20. Sicut tota primogeniti posteritas secundum genituræ ordinem, secundogenitum cum omni progenie : ita secundogeniti prosapia tota tertiogenito præponitur.

21. Ex eodem fonte agnatorum derivanda est successio, nam respectu primi acquirentis descendentium numero censentur,

inter se vero collati agnatorum iure succedere videntur, sed quia huius successionis ratio ex primogenitura deducitur, agnati ex secundogenito, tertiogenitum cum omni agnatione excludunt, pariter enim ratione primi acquirentis sunt descendentes, ex primo, secundo, tertiogenito posteri, qui sibi invicem secundum lineas præferuntur non gradus. *arg. d. 4. 7. d. 24.* & hæc de successione.

22. Porro si interciderint successores legitimi, vel exciderint Electoratu; recidit ad Cæsarem, libera potestas cuiquam Electoratum conferendi. *d. l. 7.* nisi anteriores Cæsares spem certam, exspectativam vocant, fecerint, fore ut interciſa Electorali stirpe alicui conferatur Electoratus. hunc enim aperto demum feudo Cæsar conferre tenetur. *arg. §. lucri. d. qui succeſſ. feud. & §. moribus*

2. *si*

2. *si de feudo defunct.* &c. *Becer. de Regal. c. 4. & alii ibidem allegati.*

23. Et quidem solius Imperatoris autoritate Electoratus iterum conferuntur ut diserte definitum est *d. c.* 7. quantopere igitur aberrent à juribus Imperii, qui Episcopo Bambergensi Henricum sanctum Electoratuum conferendorum jus tribuisse prodiderunt, etiam hinc intelligitur, quod tempore Henrici promiscua adhuc fuit Electio. *Freherus. l. 1. c. 15 de origin. palatin. & in notis ad Petr. de Andlo.* Archipincernæ quidem archidiferi &c: officia cum commodis à Bambergensi in feuda accipi, tradidit, sed vel hæc Episcopo accepto ferri negat Knichius, *in privileg. Saxon. & Elect. c. 1.*

24. Quia præterea facile factu est, ut legitimus successor ætate minor rebus ex dignitate Electorali gerendis sit impar, con-

consuluit Carolus minorennibus, quos octodecim annis circumscripsit, ac proximum agnatum lege publica iis præstituit tutorem *Aur. Bull. t. 7.* Secus quidem id est in Bohemo, ut videre licuit in Electione Caroli V. cui proceres regni rege minoreme suffragium dederunt. Goldast: *Polytische Krÿchshandell. part .1. pag. 29.*

25. Sed oppido falletur, qui hanc juris publici tutelam ad Regulas juris privati exiget. cecidisset penitus proposito Cæsar hac lege ponenda de tutela Electorali, qua restincturus dissensionis fomenta ardentius inflammasset, si eã in dispositione juris Iustinianei voluisset relinquere. Expedite definiit Iustinianus: Testamẽtarios latores legitimis esse anteponendos. Quod si fixum voluit, cur causam præbuit ambigendi? Cur legem neque

que controversâ, neq; antiquatam, ut ridiculo proœmio, ita inani effectu sanxisset? imo si ex jure privato Electoralis tutela putanda est, ut suspecti removerentur tutores, si operam suam ultro ingerent, aut tutelam, ut fit, appeterent cupidius. *arg. l. 25. ff. de procur. l. 9. ff. de tut. l. 1. §. 7. ff. de off. præf. urb.*

26. Omitto Civili Iustinianeo iure, tutelam penitus oneri esse tutoribus *Inst. de leg. Pat. tut.* publica autoritate sustinendam & totam totam ad pupillorum utilitatem gerendam, unde sæpius tutores curatoresque vel iusta excusatione hoc onere non liberantur, ut constat ex *tit. ff. de excus. tut.* Id vero in Electorali tutela longe secus accidere liquet. non enim interea temporis minoribus tantum prospiciunt, sed ingentia sui incrementa sentiunt. Principalem Magnificen-

ficentiam alienis sumptibus sustentant : dignitatis splendor Electoribus similis , & in toto imperio & minorennium ditionibus , Electoralem potentiam conciliat. ac propemodum durante cura superioritatis Electoralis non sunt administratores sed Domini. quæ quanti in principibus viris putanda sint, intelliget , qui repetita patrum memoria iura publica intuebitur consideratius.

27. Porro si Testamentaria tutoris datio legitimæ anteponenda est, prout contingeret , si Electoralis tutelæ iura ad iuris privati regulas exigimus , tum Elector testamento poterit rustico vel sutori imperii vicariatum conferre ; Ex plebeio ac subdito solus efficere summum in Imperio Magistratum ; Comitiorum facere participē , & ius suffragii tam in comitiis Imperii

quam

quam Cæsareis tribuere. quæ quam absurda sint, cui non suboleſceret? nec Cæsari soli Vicarii constituendi potestatem competere constat, sed eam penitus ex legibus Comitiorum profluere. ergo multo minus Electoris arbitrio competierit. Ergo qui non potest Imperii vicarium constituere, nec ille poterit Electoralem tutorem dare.

28. Ecclesiasticos Electores suffragiis sodalium eligi notum est, sed ob similem omnium Episcoporum eligendorum conditionem de iis postea in commune dicetur.

CAP. V.

De Principibus, Comitibus, & Baronibus Imperii.

1. SECVNDVM deinde ordinem Principes ducunt, unde & nominatio prodiit, licet annumerentur Comi-

tes,

tes, Barones, & Prælati.

2. Constat autem hic ordo Principum, qua politicis, qua Ecclesiasticis.

3. Politici sunt Principes proprie ita dicti: vel Comites & Barones.

4. Illi specialius Archiducum, Ducum, Marchionum, Landgraviorum nominibus insigniri solent, quidam etiam solo Principis nomine sunt illustres: sed hi nominibus disparati juribus Imperii adæquati sunt, ut ut aliqui splendore dignitatis emineant.

5. Cætera nihil interest, modo constet vel diversi territorii iura sæpius in unum concurrere, unde & ius suffragii in comitiis datur & pro ratione territoriorum Dux, Marchio, Comes, appellatur.

6. Sed non omnes his titulis conspicui, continuo huic Principum ordini accensentur. nam

statuum

statuum iure non fruitur, qui non ditiones iure statuum præditas sive iure allodii sive feudi legitime possidet.

7. Familię, quæ hodierno tempore in Comitiis & curia Principū jus suffragij possident, supersunt: Austriaca, Bavarica quæ & Palatina dicitur, Saxonica, Brandeburgica, Brunovicensis & Luneburgensis, Pomeranica, Mechelburgica, Hassiaca, Badensis, Holsatica, Saxo-Lauvvenburgensis, Anhaltina, Sabauda, Lotharingica, Leuchtēbergensis, & Arenbergica à Maximiliano Secundo in hunc ordinem provecta. Anno 1521. Calonius seu Calinius Princeps à Carolo Quinto Principum numero asscriptus est: Sed is eiusque posteri postea temporis in Comitiis suffragia non tulerunt. Cur autem Majestatico hoc jure destiterint, ego cognoscere non potui. Calo-

niam seu Caliniam familiam Iovius Saloniam appellat apud Sequanos illustrem *tom. 2. Histor, lib. 29.* Thuanus Cabiloniam, ex qua oriundus Ioannes Calinius, qui anno 1410. ducta in uxorem Maria Bauscorum familiæ ultima Auraici Principatus herede dotis loco acceptum Principatum ad posteros transtulit. Caliniæ seu Caloniæ familię ultimus Philibertus Aurantius suo ac Caroli Barbonij ductu Romam cepit, Clementemq; Septimum Episcopum Romanum captivum stitit. Anno CIↃ IↃXXVII: Hic postea Dux belli Hetrusci, quod Cæsar & Clemens Pontifex Florentinis intulerant, ad Gabianum oppidum occubuit. Philibertus cum sine liberis decederet, sororis Claudiæ, quæ Henrico Comiti Nassovio nupserat, filium Renatum heredem instituit, ac in Calinij nomen adoptavit.

niam seu Caliniam familiam Iovius Saloniam appellat apud Sequanos illustrem *tom. 2. Histor. lib. 29.* Thuanus Cabiloniam, ex qua oriundus Ioannes Calinius, qui anno 1410. ducta in uxorem Maria Bauscorum familiæ ultima Auraici Principatus heredem dotis loco acceptum Principatum ad posteros transtulit. Caliniæ seu Caloniæ familię ultimus Philibertus Aurantius suo ac Caroli Barbonij ductu Romam cepit, Clementemq; Septimum Episcopum Romanum captivum stitit. Anno CIↃ IↃ XXVII. Hic postea Dux belli Hetrusci, quod Cæsar & Clemens Pontifex Florentinis intulerant, ad Gabianum oppidum occubuit. Philibertus cum sine liberis decederet, sororis Claudiæ, quæ Henrico Comiti Nassovio nupserat, filium Renatum heredem instituit, ac in Calinij nomen adoptavit.

vit. Renatus itic
Anno CIↃ IↃ X
hæredem institu
Nassovium pare
Heroum Maurit
derici Thuan: 3
Histor. Belg. lib.
igitur egregius
Princeps Henr
Aurantius, est P
perij Calinius, in
cula nominatur.

8. In matricu
inter Principes
zost. von der Ma
Massoviæ in Sarm
familia jamdudu
Poloniæ Reges
obtinent, obsole
mancii juribus.

9. Henricus
gravius Misniæ C
steinius Dominu
ræ Anno 1559. 156
ne Principum se

sed abhinc non inveniuntur in Principum numero. Et Saxoniæ Elector ipsorum loco dependit Imperio, quod ille sufferre tenebatur.

10. Dux item Mantuæ in Italia ab Imperio dependet, sed jus suffragii in Comitiis non habet.

11. Similiter Dux Atestinus Mutinæ & Regii Dominus.

12. Ferraria antiquitus fuit ditionis Imperii, sed sanctus ille pater Romanus hoc filio suo Cæsari eripuit.

13. Holsatiæ Duces iampridem Imperium agnoverunt, sed jus Comitiorum primum Anno 1570 adepti sunt. Christianus Tertius Daniæ Rex Holsatus Anno 1555 in Comitiis Ferdinandum Secundum Romanorum Regem de Sessione interpellavit. Sed tum temporis nihil fuit statutum, Lauvvenburgici item Anno 1570 pri-

sed abhinc non inveniuntur in Principum numero. Et Saxoniæ Elector ipsorum loco dependit Imperio, quod ille sufferre tenebatur.

10. Dux item Mantuæ in Italia ab Imperio dependet, sed jus suffragii in *Comitiis non* habet.

11. Similiter Dux Atestinus Mutinæ & Regii Dominus.

12. Ferraria antiquitus fuit ditionis Imperii, sed sanctus ille pater Romanus hoc filio suo Cæsari eripuit.

13. Holsatiæ Duces iampridem Imperium agnoverunt, sed jus *Comitiorum* primum Anno 1570 adepti sunt. Christianus Tertius Daniæ Rex Holsatus Anno 1555 in *Comitiis* Ferdinandum *Secundum* Romanorum Regem de *Sessione* interpellavit. Sed tum temporis nihil fuit statutum, Lauvvenburgici item Anno 1570 pri-

primum inter
rantur.

14. Comites
ses Principibus
ti fuerunt, sed f
cessit, & Saxor
cas ipsorum po
loco Hennebe
tum in Senatu
fragium ferunt.
de Annis 1594.

15. Palatinu
ctor hereditari
agnatis suis sin
tuis, Ioanni Ca
do in Ditionib
Simmerensi :
Principes sente
ces. Imper. Anno
& 1613.

16. Brunovi
burgenses Duc
in Comitiis dec
& postea etiam
gravii itidem

1570. Cum vero iam ad duo familiæ capita rerum ſumma deciderit, & illa & iſta familia duorum tantum votorũ iure fruitur.

Cur autem ad exemplum Saxoniæ & Palatinæ familiæ reſpectu Principatuum iure heredis delatorum, ſuffragiorum iura non uſurparint, ego non intelligo.

17. Hi vero Imperii Romani-Germanici Principes familiis ſunt longe illuſtriſſimi: plerique Cæſaribus & Regibus prognati ſunt. Sed omnium antiquiſſimi ſunt Saxonici, Bavarici ſeu Palatini, & Brunovicenſes Duces, Megapolitani, Anholtini & Pomærani.

18. Saxonici Principes à Witickindo Magno Saxonum Rege qui cum Carolo Magno acerrima bella geſſit, per Ditgremum nepotem indubitata propagine orti ſunt.

Witic-

1570. Cum vero iam ad duo familiæ capita rerum summa decideret, & illa & ista familia duorum tantum votorũ iure fruitur.

Cur autem ad exemplum Saxoniæ & Palatinæ familiæ respectu Principatuum iure hereditis delatorum, suffragiorum iura non usurparint, ego non intelligo.

17. Hi vero Imperii Romani-Germanici Principes familiis sunt longe illustrissimi: plerique Cæsaribus & Regibus prognati sunt. Sed omnium antiquissimi sunt Saxonici, Bavarici seu Palatini, & Brunovicenses Duces, Megapolitani, Anholtini & Pomærani.

18. Saxonici Principes à Witickindo Magno Saxonum Rege qui cum Carolo Magno acerrima bella gessit, per Dirgremum nepotem indubitata propagine orti sunt.

Witickindus fuit vir fortissimus & Rex Saxonum, sed paganus & Carolo Magno heroe aliquoties ad propriam sui & suorum salutem victus: Christi Servatoris nomen amplexus est, & postea à Carolo Cæsare magno loco habitus, ditiones suas retinuit, adhæsit Imperio iure tantũ clientelari. Præter Saxoniæ Duces & Reges Daniæ, Duces Holsatiæ à Witickindea stirpe descendunt. Serenissima item Francorum regum & Sabaudiæ Ducum familia. Ex hac præclara familia orti Cæsares: Henricus Auceps, Otto Magnus eius nominis Primus & huius filius & nepos Otto Secundus & Tertius Imperatores. Henricus item Secundus cognomento Sanctus.

19. Brunovicenses & Luneburgenses Duces cum Alboino Longobardorum rege ex regionibus Saxonicis ad fluvium Al-

bim, primum in Pannoniam, dehinc in Italiam progressi, Atestinorum principatum obtinuerunt. Subactis deinde in Italia Longobardis, floruit nihilominus hæc familia. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius è Guelphorum familia Iuditam Secundam coniugem duxit, unde natus Carolus Calvus Cæsar & Rex Francorum.

Hæc Iudita habuit fratris filium Henricum, cuius filia nupsit Ludovico Ludovici Germanici filio. Ludovicus Henrico affini attribuit, in Bavaria, quæ à Lyco ad Ambronem & à Gelone amne ad Alpes penninas pertinent. hæc fuerunt principia Guelphorum in Bavaria. huius ex filio Henrico abnepoti Guelpho Quarto sine mascula sobole mortuo, successit Cunigundę sororis & Azonis Quarti Ferrariæ Ducis filius Guelphus Sextus, qui Hen-

bim, primum in Pannoniam, dehinc in Italiam progressi, Atestinorum principatum obtinuerunt. Subactis deinde in Italia Longobardis, floruit nihilominus hæc familia. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius è Guelphorum familia Luditam Secundam coniugem duxit, unde natus Carolus Calvus Cæsar & Rex Francorum.

Hæc Iudita habuit fratris filium Henricum, cuius filia nupsit Ludovico Ludovici Germanici filio. Ludovicus Henrico affini attribuit, in Bavaria, quæ à Lyco ad Ambronem & à Gelone amne ad Alpes penninas pertinent. hæc fuerunt principia Guelphorum in Bavaria. huius ex filio Henrico abnepoti Guelpho Quarto sine masculâ sobole mortuo, successit Cunigundę sororis & Azonis Quarti Ferrariæ Ducis filius Guelphus Sextus, qui Hen-

Henrici Quar
culo Guelpho
rię principatu
Sextus genui
grum, qui ex M
niæ Billigiani
filia Wulfildi
Superbum, g
Saxonis Cæsa
perbus Dux Ba
Lotharii Cæsa
gem & mortu
Saxoniam in
hoc coniugio
Leo Bavariæ
Ducum Brun
neburgensium
mnium Gern
potentissimus.
variam, quic
inter Albim &
maniæ nobi
orientem & oc
ab arcto ma
Oceanus Ger

à septentrione Hercynia sylva, & Melibocus. Princeps fuit magnanimus, sed Cæsarem Fridericum Primum, fratrem suum consobrinum seu amitinum respicere noluit; hinc communi statuum consensu proscriptus & debellatus ad socerum Henricum Tertium Angliæ Regem ad triennium cedere coactus fuit. Tandem Cæsari reconciliatus Bavaria amissa recepit ditiones, quas usquedum Brunovicenses & Luneburgenses Duces amplissimas possident.

Henricus Leo Saxoniæ Dux appellatus fuit & omnes Provincias iure allodij, ut iam loquimur, tenuit, ipsius vero ex filio Wilhelmo nepos Otto, paternas has Provincias Imperio obtulit, & à Cæsare Friderico Secundo, nomine feudi cœpit agnoscere: idque factum est Moguntiæ Anno 1235.

Et

à septentrione Hercynia sylva & Melibocus. Princeps fuit magnanimus, sed Cæsarem Fridericum Primum, fratrem suum consobrinum seu amitinum respicere noluit; hinc communi statuum consensu proscriptus & debellatus ad socerum Henricum Tertium Angliæ Regem ad triennium cedere coactus fuit. Tandem Cæsari reconciliatus Bavaria amissa recepit ditiones, quas usquedum Brunovicenses & Luneburgenses Duces amplissimas possident.

Henricus Leo Saxoniæ Dux appellatus fuit & omnes Provincias iure allodij, ut iam loquimur, tenuit, ipsius vero ex filio Wilhelmo nepos Otto, paternas has Provincias Imperio obtulit, & à Cæsare Friderico Secundo, nomine feudi cœpit agnoscere: idque factum est Moguntiæ Anno 1235.

Et

Et tunc cum novo Principatuum suorum titulo non amplius Saxoniæ Duces sed Brunovicenses & Luneburgenses à primariis suis oppidis dici cœperunt.

Ex hac familia fuerunt Cæsares Otto Quartus Henrici Leonis filius & Fridericus, filius Magni Torquati, hic Francofurti fuit electus Cæsar, sed dum ab electione domum regreditur, Moguntini Episcopi insidiis ad Fruzlariam interiit, Imperii regimen non auspicatus: unde fit, ut in Cæsarum catalogo non numeretur.

20. Palatini seu Bavarici Principes antiquissima etiam sunt prosapie, nonnulli eos derivant à Carolo Magno, de quo mihi non satis constat.

Maiores ipsorum fuerunt Comites à Schiern, qui Henrico Leone Brunsvigio à Friderico

Cæsa-

Cæsare Bavariæ ducatu exacto, Bavariæ Ducatu sunt potiti.

21. Henrici Leonis Brunsvici filius Henricus Longus duxit Cunradi Palatini filiam, dotis loco accepit Palatinatum. hic duas reliquit filias quarum primā duxit Otto Wittelsbachius, stirps & propagator omnium Ducum Bavariæ & Palatinatus ad Rhenum, ex hac familia duo fuerunt Cæsares, Ludovicus Quartus & Rupertus. à Ludovico descendunt Bavariæ Duces, à Ruberto Principes Palatini. Cæteræ Germanorum Principum familiæ, si Austriacos excipias, Cæsares non habuerunt: magnam tamen partem à regibus originem ducunt.

22. Megapolitani Duces sunt origine Heruli & Obotriti Henetæ gentis: ipsorum maiores Obotritorum reges fuerunt.

Henricus Leo Brunsvigius eos ad Christianismum compulit,

Cæsare Bavariæ ducatu exacto, Bavariæ Ducatu sunt potiti.

21. Henrici Leonis Brunsvic filius Henricus Longus duxit Cunradi Palatini filiam, dotis loco accepit Palatinatum. hic duas reliquit filias quarum primâ duxit Otto Wittelsbachius, stirps & propagator omnium Ducum Bavariæ & Palatinatus ad Rhenum, ex hac familia duo fuerunt Cæsares, Ludovicus Quartus & Rupertus. à Ludovico descendunt Bavariæ Duces, à Ruberto Principes Palatini. Cæteræ Germanorum Principum familiæ, si Austriacos excipias, Cæsares non habuerunt: magnam tamen partem à regibus originem ducunt.

22. Megapolitani Duces sunt origine Heruli & Obotriti Heruletæ gentis: ipsorum maiores Obotritorum reges fuerunt. Henricus Leo Brunsvigicos ad Christianismum compu-

lit, & regii illi Principes Christiani facti, se Imperio sub titulo Ducum subdiderunt, abdicato regio nomine.

23. Pomeraniæ Duces à Griphonum familia oriundi sunt: quos Sarmatiæ Europæ quondam reges fuisse perhibent.

24. Anhaltini quoque sunt antiquissimi stemmatis. Otto Comes Ascaniæ & Ballenstedii duxit alteram filiam Magni Ducis Saxoniæ, unde natus Albertus Ursus & huius filius Bernhardus, qui pulso Henrico Leone, Saxoniæ Duces facti sunt. & ipsorum posteri Electoratus Saxoniæ & Brandeburgensem usque ad Henrici Septimi & Sigismundi Cæsarum Imperia possederunt.

Bernhardi filius, Alberti Ursi nepos Henricus, Principibus Anhaltinis ortum dedit, qui antiquam Patriam Ascaniæ gentis

tis ad Herciniæ iuga incolunt.

25. Sed nonnunquam unius familiæ Principes regionibus diviſi, plurium ſuffragiorum jus habent, quocirca ex familijs de ſtatibus non licet concludere. illud ſane conſtat comitiis non intereſſe, qui nulli ditioni prę ſunt.

26. Qua autem occaſione Principes & quando cœperint, multi prodiderunt. hodiernis ſane Imperii legibus ſola fere ſucceſſione conſtitui poterunt: quia quæ antea fuerat Cæſaris apertorum feudorum libertas, per capitulationem fere deſiit; nam aſtringitur Cæſar, ut ſi qua Imperii feuda aperta fuerint, Cæſareo patrimonio adiiciat, nec conferat aliis: quo argumento & ſucceſſionum fœdera poſthac impedita conſtat, quibus nec Cæſar aſſentiri, nec ſine Cæſaris aſſenſu inita, conſiſtere poſſunt.

27. Succedunt vero hæ Principum

tis ad Herciniæ iuga incolunt.

25. Sed nonnunquam unius familiæ Principes regionibus divisi, plurium suffragiorum jus habent, quocirca ex familijs de statibus non licet concludere. illud sane constat comitiis non interesse, qui nulli ditioni præsunt.

26. Qua autem occasione Principes & quando cœperint, multi prodiderunt. hodiernis sane Imperii legibus sola fere successione constitui poterunt: quia quæ antea fuerat Cæsaris apertorum feudorum libertas, per capitulationem fere desiit; nam astringitur Cæsar, ut si qua Imperii feuda aperta fuerint, Cæsareo patrimonio adiiciat, nec conferat aliis: quo argumento & successionum fœdera posthac impedita constat, quibus nec Cæsar assentiri, nec sine Cæsaris assensu inita, consistere possunt.

27. Succedunt vero hæ Principum

cipum familiæ non iisdem legibus, pars notoria consuetudine, ait Gail. 2. *obs.* 153. dividunt feuda, apud alias primogenitura seu moribus seu conventione invaluit, sed publicis legibus non introducta relinquimus, singuli de suis juribus privatim introductis viderint.

28. Comites & Barones immediate Imperio subjecti, quo ad statum perinde habentur, quod tamen secus est in iis qui vulgo Landsassii dicuntur, qui de juribus Jmperii non participant, ut ut cęteris sint dignitate pares; nec superioritatis iure poterunt fruisci *arg. recess. Imp. anno* 1548. §. *vvievvol auch in der: Schrad. de feud. part.* 10. *sup.* 2. Series huiusmodi statuum obvia est apud *Paurmeist. 2. de jurisd.* 2.

29. Perinde vero ut Principes superiores in statuum numerum succedendo proyehuntur. Et si

qua

qua adest alicubi singularitas, ea privatis legibus innititur.

30. Sed cum inhibita sit per capitulationem, patrimonialium bonorum collatio, quæ ad Cæsaris patrimonum recidere debent, non æque hac lege impediri Cæsarem intelligitur, quo minus quenquam jam ante regalia possidentem in Principum ordinem extollat.

CAP. VI.

De Episcopis & Prælatis Statibus Imperij.

1. ECCLESIASTICI ordinis Status vel sunt Principes vel Prælati.

2. Principes Ecclesiastici cum politicis jure suffragii coincidunt.

3. Et hi sunt Episcopi vel Prælati ex veteri ordine Principibus adscripti.

4. Episcopi, si iis adnumeres, Magde-

qua adest alicubi singularitas, ea privatis legibus innititur.

30. Sed cum inhibita sit per capitulationem, patrimonialium bonorum collatio, quæ ad Cæsaris patrimonum recidere debent, non æque hac lege impediri Cæsarem intelligitur, quominus quenquam jam ante regalia possidentem in Principum ordinem extollat.

CAP. VI.

De Episcopis & Prælatis Statibus Imperij.

1. ECCLESIASTICI ordinis Status vel sunt Principes vel Prælati.

2. Principes Ecclesiastici cum politicis jure suffragii coincidunt.

3. Et hi sunt Episcopi vel Prælati ex veteri ordine Principibus adscripti.

4. Episcopi, si iis adnumeres Magdeburgensem, Salisburgensem, Bremensem, Vesontinum & Rigensem, Archiepiscopos; fuerunt numero quinquaginta, qui Principum Imperii iura tenuerunt. Sed nonnulli jam in aliorum Principum ditionem concesserunt. Rigensis Polono cessit: Saxo elector tres; tres item Brandeburgicus obtinuerunt Episcopatus: hi igitur & similes Imperii status esse desierunt. *Paurm. 2. de jurisd.*

5. Prælati Principes hodie numerantur undecim à Paurm. quibus addunt Abbatem Ludrensem.

6. Episcoporum initia & progressus omnium luculentissime persequitur *Marc. Anton. de Dominis in elaboratissimo tractatu de repub. Ecclesiast.* Hodie constituuntur Electione vel postulatione *Lancell. 1. inst. can. t. 6.*

7. Electio est communi capi-

tularium omnium seu plurium suffragio vacante Ecclesia Cathedrali vel collegiata, certo ritu & modo idoneæ personæ cooptatio 6. *decret.* 1. *t.* 6. *per tot. Lancell.* 1. *inst. can.* 6. *Ioach. Steph.* 1. *inst. can.* 6. *Matth. Steph.* 3. *de jurisd. p.* 1. *c.* 9. de modo & ritu eligendi Episcopi capitularibus præcipue reformatis, hodie licet esse securis; nam is legitime electus putatur, quem plurium suffragia constituerunt. *Ioach. Steph. de jurisd. Eccles. lib.* 4. *cap.* 11. similis est Electionis ratio in prælatis, quocirca etiam una definitione comprehendere volumus.

8. Postulatio in subsidium introducta est, etenim multa concurrere in Episcopo oportet, quorum si quid desit, irrita est Electio: unde factū est, ut quem eligere impedirentur capitulares, cum postulare liceret *Lancell.* 1. *inst. can.* 8. *c. pen. ext. de postul. præl.*

tularium omnium seu plurium suffragio vacante Ecclesia Cathedrali vel collegiata, certo ritu & modo idoneæ personæ cooptatio 6. *decret.* 1. t. 6. *per tot. Lancell.* 1. *inst.* can. 6. *Ioach. Steph.* 1. *inst.* can. 6. *Matth. Steph.* 3. *de jurisd.* p. 1. c. 9. de modo & ritu eligendi Episcopi capitularibus præcipue reformatis, hodie licet esse securis; nam is legitime electus putatur, quem plurium suffragia constituerunt. *Ioach. Steph. de jurisd. Eccles. lib.* 4. *cap.* 11. similis est Electionis ratio in prælatis, quocirca etiam una definitione comprehendere voluimus.

8. Postulatio in subsidium introducta est, etenim multa concurrere in Episcopo oportet, quorum si quid desit, irrita est Electio: inde factū est, ut quem eligere impedirentur capitulares, cum postulare liceret *Lancell.* 1. *inst.* can. 8. c. pen. ext. de postul. præl.

præl. c. cum. in cunctis ext. de Elect.

9. Definita autem est Postulatio, quod sit eius qui eligi non potuit, apud superiorem concors capituli petitio. *Lancell.* 1. *inst.* 8. *Ioach. Steph.* 1. *inst.* 4. Et sciendum est, quibusdam eligentibus, quibusdam postulantibus duplo majorem postulantium numerum requiri; sin secus, præfertur per pauciora suffragia facta Electio. *c. scriptum est: de Elect. ubi Panorm.*

10. Ex Canonum igitur jure sine consensu superioris postulatio vacillat: quod an etiam reformatas Ecclesias attineat, atque adeo an hinc pendeat jus statuus, de quo constituendo hic præcipue agimus, impeditius est, quam ut mihi liceat definere. vix dici potest, quantopere imperatoriam atque adeo totius Imperii maiestatem imminuat, tot

Imperii Principes ab aliena quâ Imperii maiestate dependere. In Comitiis, ubi præcipue exeritur Imperii maiestas : quilibet Episcopus ac undecim aut eo amplius Prælati, singuli suffragii jus habent; ac numero cæteros Principes antecedunt. Si igitur hi omnes à Pontifice dependent, patet quam vere Æmilius: Henricum Quintum plus quam dimidium jurisdictionis perdidisse; dum ius Episcopatuum Pontifici Rom. concederet. quid multis? si pontifex Rom. cuius tam immensam in Episcopis constituendis potentiam; tam magnifico verborum cantu inculcant, Imperii legibus obnoxius est: ab imperatoria maiestate primarie jura Episcopatuum profluunt. Etenim si confirmat Episcopos Papa, quatenus ipse subest Imperio, Imperii maiestati tanquam formali principio innititur, &

con-

Imperii Principes ab aliena qui
Imperii maiestate dependere. In
Comitiis, ubi præcipue exeritur
Imperii maiestas : quilibet Epi-
scopus ac undecim aut eo am-
plius Prælati, singuli suffragii jus
habent; ac numero cæteros Prin-
cipes antecedunt. Si igitur hi
omnes à Pontifice dependent,
patet quam vere Æmilius: Hen-
ricum Quintum plus quam di-
midium jurisdictionis per didis-
se; dum ius Episcopatuum Pon-
tificiRom. concederet. quid mul-
tis? si pontifex Rom. cuius tam
immensam in Episcopis consti-
tuendis potentiam; tam magni-
fico verborum cantu inculcant
Imperii legibus obnoxius est: al
imperatoria maiestate primari
jura Episcopatuum profluunt
Etenim si confirmat Episcopo
Papa, quatenus ipse subest Imp
rio, Imperii maiestati tanquas
formali principio innititur, !
con

confirmādis Episcopis magistra-
tus tantum officio fungitur, qui
in Maiestate Imperii radicē ha-
bet. Sin vero Pōtifex est Princeps
absolutus & summus, ut Pau-
lus Quartus apud Thuan. de se
prædicat : fateamur necesse est,
tantum Augusto huic Imperio
decedere libertatis dicam an ma-
iestatis, quantum in Episcopis ab
extraneo dependentibus consti-
terit. an vero sit ea libera respu-
blica, cuius maiestas magnam
partem à Principe extero depen-
deat, viderint illi, qui Imperato-
riam maiestatem inconcussam
asserere desiderant. O ter & qua-
ter felices Galliarum reges, qui
sub Ecclesiasticæ potestatis spe-
cie Pontifices, simili fraude, qua
Germaniam invaserant, in poli-
ticam nobilissimi regni maiesta-
tem irrepere multoties conatos
usque dum fortissime represse-
runt. videat lector insigne asser-

tæ regiæ maiestatis exemplum apud Thuan. 28. *Histor.*

CAP. VII.

De Civitatibus Imperialibus.

1. TERTIA classis est civitatum Imperialium, quæ itidē comitiis interſunt, ac de Imperii juribus participant. Catalogus earum extat apud *Paurm. 2. de juriſd. 2.*

2. Atque hi ſunt, qui una cum Cæſare ad reipubl. Romano-Germanicæ gubernacula poſiti, coniunctim res complures Imperii moderantur. quod quoniam ſine conventibus fieri nequit, comitia inſtitui oportuit, ubi ordines congregati de rebus ſibi cum Cæſare communibus conſtituerent. hinc igitur, comitia & ordinum conventus: de quibus fere diceres, quod jam olim Tacitus de mor. Germ.

ex regiæ maiestatis exemplo, apud Thuan. 28. *Histor.*

CAP. VII.

De Civitatibus Imperialibus.

1. TERTIA classis est civitatum Imperialium, quæ itidē comitiis interſunt, ac de Imperii juribus participant. Catalogus earum extat apud *Paurm. 2. de juriſd. 2.*

2. Atque hi ſunt, qui una cum Cæſare ad reipubl. Romano-Germanicæ gubernacula poſiti, coniunctim res complures Imperii moderantur. quod quoniam ſine conventibus fieri nequit, *comitia inſtitui oportuit, ubi ordines congregati de rebus ſibi cum Cæſare communibus conſtituerent. hinc igitur, comitia & ordinum conventus : de quibus fere diceres, quod jam olim Tacitus de mor. Germ.*

CAP.

CAP. VIII.

De Comitiis Imperii.

1. QUÆ autem res & negotia Imperii, ad Comitia ſeu univerſalia ſeu particularia ſpectent, ſuo loco delineabitur.

2. Univerſalia convocat Cæſar, adhibito ex legibus capitulationis neceſſario electorum aſſenſu, literis ad ſingulos ordines miſſis, definito ſuo pene arbitratu die & loco, nō tamen extra fines Imperii *VVehn. obſ. pract. verb. Reichstag : Paurm. 2. de juriſd. 2.*

3. Convocati hoc modo Imperii ſtatus aut ipſi præſentes, aut per Legatos partibus ſuis defunguntur.

4. Poſtquam convenerunt, ſtato die Cæſarem ſolenni pompa in Curiam comitantur, & hinc & hinc actis gratiis Cæſar per Secretarium tractationis ma-

teriam proponit, quo facto ordines & legati, reducto Cæsare, in sua quisque diversoria deliberatum discedunt.

5. Postea stato die ad ferenda suffragia reversi in tres classes dividuntur: Electorum, Principum & Civitatum Imperialium.

6. A jure suffragii Electoralis in Comitiis universalibus pleriq; Bohemum secludunt eumque quem tamen Paurm. & Wehn. accensent, non vocari tradunt. hinc rei incertus suspicari cœpi: Bohemiæ regem, qui propriis regni legibus, non communi Imperii jure vivit, frustra iis comitiis interesse, in quibus nihil, quod Bohemiam attingat, pro tempore statuetur; nec eandem ob causam in circulis, qui exequendis Imperii legibus destinati sunt, numerari. Etenim nequicquã fere leges strictiori iu-

risdi-

terium proponit, quo facto ordines & legati, reducto Cæsare, in sua quisque diversoria deliberatum discedunt.

5. Postea stato die ad ferenda suffragia reversi in tres classes dividuntur: Electorum, Principum & Civitatum Imperialium.

6. A jure suffragii Electoralis in Comitiis universalibus plerique Bohemum secludunt eumque quem tamen Paurm. & Wehn. accensent, non vocari tradunt. hinc rei incertus suspicari cœpi: Bohemiæ regem, qui propriis regni legibus, non communi Imperii jure vivit, frustra iis comitiis interesse, in quibus nihil, quod Bohemiam attingat, pro tempore statuetur; nec eandem ob causam in circulis, qui exequendis Imperii legibus destinati sunt, numerari. Etenim nequicquã fere leges strictiori iu-

risdictionis civilis ambitu comprehensæ ad Bohemiam pertinent. Vincerẽ autem si de bello Imperii nomine suspiciendo, vel rebus, quæ una Bohemiam contingerent, decernendum foret, Bohemi quoque præsentiam esse requirendam.

7. Propterea autem fit classium divisio, quia curiatim non viritim suffragia feruntur. ut puta, si duæ classes, vel quarumlibet pars major, conveniant, quantum quidem est in ordinibus, res est confecta, ac veluti commune consultum Cæsari refertur: cui si idem placet, fit Decretum, sin minus, hinc & inde replicant, duplicant, adductis suæ sententiæ rationibus, donec alterutra pars in alterius sententia acquiescat, ac Cæsar ac Ordines in constitutionem conventione conspirent. Si convenire nequiverint, neque Cęsar ex ple-

nitudine, ut dicunt potestatis, quicquam potest statuere, neque ordinum sententia legis habet vigorem, *Paurm. d. t. VVehn. in verb. Reichstag: autor. Auton.*

8. In classibus quidem separatis viritim fere sententiæ dicuntur, semper certe in classe Electorum. *Paurm.*

9. Principum classis, ut supra diximus, comprehendit Politicos Principes ita speciatim appellatos, Episcopos & Prælatos Principibus annumeratos: Comites, Barones: cæteros Prælatos atque Antistites.

10. Principes Ecclesiastici Politici itidem in sua classe viritim suffragia ineunt: Comites autem & Barones conjuncti, duorum tantum suffragiorum jus habent, & in duas tribus, vulgo *VVetteravvische und Schvvebische Banck* divisi, ad modum huius divisionis duo tantum omnium no-

nitudine, ut dicunt potestatis, quicquam potest statuere, neque ordinum sententia legis habet vigorem, *Paurm. d. t. VVehn. in verb. Reichstag: autor. Auton.*

8. In classibus quidem separatis viritim fere sententiæ dicuntur, semper certe in classe Electorum. *Paurm.*

9. Principum classis, ut supra diximus, comprehendit Politicos Principes ita speciatim appellatos, Episcopos & Prælatos Principibus annumeratos: Comites, Barones: cæteros Prælatos atque Antistites.

10. Principes Ecclesiastici Politici itidem in sua classe viritim suffragia ineunt: Comites autem & Barones conjuncti, duorum tantum suffragiorum jus habent, & in duas tribus, vulgo *VVetterauvische und Schvvebischi Banck* divisi, ad modum huius divisionis duo tantum omnium no-

nomine habent jus sessuræ, qui alternis vicibus priores sententiam dicunt; prælati non adscripti Principibus unius solum suffragii iure fruuntur *VVehn. d. l.*

11. Civitates liberæ, quæque in sua curia sententiam dicunt & pariter ut Comites in duo Latera Rhenanum & Suevicum: vulgo *Rheinische und Schvvebische Banck*, dividi solent: Peucerus 5. Chron. Civitatibus jus tantum in medium consulendi relinquit denegata decernendi facultate. quod quidem diserte refellitur decreto Ratisbon: *anno* 1545. *Eximinus de hac extat libellus, qui inscribitur: Summa und Inhalt aller ubergebner Acten, und darauf gestelten Ratschlegen, Ehrbaren Frey und Reichsstette Session, Stand und Stim belangend. Obrecht. sane de jurisd. c. 6. n. 77. & 78.* jus suffragii magnopere asserit. Et Wehn.

cæcu-

utpote Cameralis, primo & formaliter in maiestate, tanquam subiecto adæquato consistit, à qua iurisdictionem abdicari, perinde est, ac si ignis desineret esse calidus: nam ut ignis est subiectum primum caloris, ita iurisdictionis maiestas. Hinc Cameræ iurisdictio, quæ tota aliunde dependet, aut Cæsari solo, aut statibus & Cæsari accepta ferenda est. Si statibus; habuerint status communem cum Cæsare reddendi iuris potestatem, necesse est, cum eam Cameræ ut magistratui impertirentur. atqui & monumenta Imperii, & ordinatio Cameræ & denique ipse Autor *des gründlichen vnterrichts* perspicuum faciunt; ante institutum Imperii regimen & Cameram, solum Cæsarem summa potestate, iura in Imperio reddidisse: quem si hanc iurisdictionem ita Cameræ impertivisse dixeri-

mus, ut à se demiserit penitus, dixerimus æque ex arido fonte rivulos defluere, seu calorem ab igne in subiecta communia abdicatum: seu agendi efficaciam causæ secundæ inesse, de esse primæ. at, ait *Autor des gründlichen vnterr.* una est Cæsaris & Cameræ iurisdictio, atque adeo Cæsar in Camera suam iurisdictionem exercet. obsecro, anne eadem est dependens & independens potestas? anne idem maiestas & magistratus? verbo. si Cęsaris & Cameræ iurisdictio essentialiter coincidit, aut utraque est maiestatica, aut, ut ita loquar, magistralis. nõ maiestatica, nec enim quenquam I.C. tam nihil intelligere putaverim, ut Cameræ dependentiam nõ intelligat. Si magistralis, quomodo Cęsar Cameræ jurisdictionẽ potuit committere? an magistratus magistratum creat? imo an Cæsar se ipsum magistratum crea-

creare potuit? nonnunquam prorogatam Cæsaris jurisdictionem confitetur Autor *des gr. vnter.* dū nonnulli præterita Camera Cæsarem adierint, sed quomodo seorsim prorogabitur iurisdictio, quam negat à Camera separatam? Autor *des gr. vnterr.* Et adeo nulla, nulla est per se iam competentis ac acquisitæ iurisdictionis prorogatio: prorogatio enim est spontanea litigantium, alienæ se jurisdictioni subiicientium conventione facta extensio. *l. 15. 18. l. ff. de jurisdict.* iam vero si eadem est Cæsaris & Cameræ iurisdictio, res Cameræ subiectæ eo ipso Cæsareæ iurisdictioni subeerunt. nulla igitur hic dabitur iam competentis iurisdictionis prorogatio.

4. Patet igitur Cameræ iurisdictionem, cui tantum jure magistratus competit, in maiestate Cæsarea residere principaliter, qui

qui longe liberius eam, ac solutius iure maiestatis exerere possit; quam Camera iure magistratus.

5. Dicitur quidem Cameræ consistorium Principis, vice sacra iudicare, ac exercere iurisdictionem Cæsaream. *apud Gail. Mynsi. Paurm. Gilm.* recte, ut enim in omni pene republica constituuntur magistratus, qui maiestatis vice commissam iurisdictionem exerceant: ita Camera Cæsari subordinata est, cuius ministerio uteretur in iure dicundo. Sed ut magistratuum, ac proinde Cameræ iurisdictio est precaria ac mandata, quod tamen recte accipiendum est. Sic Cæsaris est propria ac prima, longe liberior, quam illa certis mandati legibus circumscripta; unde etiam inconsideratius Gailium Cæsaream, & Cameræ iurisdictionem comparasse constat,

stat, 1. *obs.* 41. *Rhoding.* 1. *Pand. Cam. in l. Diffamari.*

6. Dicitur quidem magistratuum iurisdictio nonnunquam propria *l.* 1. *&* 4. *ff. de offic. eius. cui mand. est jurisd.* sæpius etiam ordinaria à modernis, sed propria dicitur respective ad eos, quibus à magistratibus iurisdictio mandatur: *l.* 1. §. 1. *ff. de offic. eius,* &c. & ut hi mandatarii nihil habent proprii respectu magistratuum, ita magistratui nihil proprii, respectu maiestatis. ordinaria, quia plerumque perpetua regula constituuntur magistratus, ut in datis causarum generibus perpetuo ius reddant, non tantum individuis & singularibus personis.

7. Utut vero Cameræ iurisdictio Cæsari subserviat, & accepta ferenda sit, non tamen continuo Cæsar constituere potuit, ut Cameræ, novo scilicet tum magi-

magistratui Imperium pareret, quia novum universo Imperio magistratum præficere, nihil est aliud, quam legem condere, quæ teneat universos, quæ potestas, ut constat, soli Cæsari non competit.

8. Camera igitur, quo ad subiectum, formam & modum expediendæ iurisdictionis, communi statuum & Cæsaris autoritate instituta; à solo Cæsare ipsam iurisdictionem accepit. unde Maximilianus se Consilio & voluntate statuum iudicem & Cameræ Assessores lecturum profitetur *ord. Cam.* Anno 1495. *tit. VVie dat Cammergericht mit Richtern,* &c. Et Ferdinandus de Reformatione Cameræ se cum statibus conveniisse affirmat *in præfat. ord. Cam.* 1555. nimirum institutio & ordinatio Cameræ lex nova fuit, quam sua solius autoritate Cæsares, nec figere

nec

nec refigere potuerunt, *arg. capit.*

9. Oportuit quidem communi procerum consensu institutos Camerales etiam iurisdicendi potestatem accipere, sed nequaquam necesse fuit, ab uno eodemque & constitui Camerales, & iurisdictionem accipere. nam in magistratu constituendo, pro modo majestatis quisq; confert. Cæsareæ autem solius maiestatis fuisse reddendi juris potestatem, nec ambigunt qui concurrentiam impugnant.

10. Hinc quoque constat, nec aboleri Cameram posse, nisi & Cæsar & proceres pariter conspirent: Tollunt enim leges iidem quibus est ponendi potestas.

11. Summatim dicam: Institutio Cameræ, & expediendæ iurisdictionis modus & ratio, à communi Cæsaris & ordinum consensu procedunt: jurisdictio

seu

seu reddendi juris potestas à sola Cæsarea maiestate influit. quam idcirco Cæsar jure majestatis, quam Camera exercet liberius. Et hæc ex capitulationis contextu; Ordinat. Cameræ & recessuū Imperii eruta confirmant Gailius, Mynsing. Paurm. qui usu edocti, usque dum in Imperio ita obtinuisse tradiderunt. Ex quo intelligi existimo, nec jura statuum, nec jurisdictionis naturam satis assequi, qui Cameræ jurisdictionem iure magistratus competentem, ac Cæsaris maiestaticam concurrere, inficias iverint.

12. Imo ex capitulatione liquida est Cæsaris rerum omnium iurisdictio. Recipit Imperator, se summis & infimis pariter iustitiam administraturum, nec se proscripturum vel proscribi passurum quenquam, cuius, cuius etiam sit conditionis, qui causam

sam non prius legitime dixerit. *art.* 24. 25. Si igitur promiscue administrare tenetur iustitiam, nec quenquam nisi legitime proscribere. Iurisdictionem Cæsari promiscuam competere oportet: secus supra iurisdictionem iniuncta fuisset iustitiæ administratio.

13. Ex quo efficitur inconsideratius locutos, qui Cæsarem sine Electorum & Principum assensu, Principes præcipue & Civitates proscribere posse negant. Nam nulla fere est statuum reddendi iuris potestas, nisi in moderandis contributionibus, & re monetaria. In revisionibus Cæsarea jurisdictio exercetur. *arg. capit.* quæ vero in Capitul. Cæsari cum Electoribus statibusque communia facta sunt, ad iuris condendi potestatem spectant. Loquuntur Historiæ, patrum & nostra memoria, Cæsarea autoritate proscriptos Prin-

cipes, Civitates ac privatos. nec unquam proscripti contra jurisdictionem iure excepisse leguntur.

14. Imo si Camera Principes ac Civitates consulto Cæsare proscribere potest, . Cameræ eatenús delegatam jurisdictionem licet agnoscere, ac proinde propriam Cæsaris *arg. ord.p.2.tit.18.*

15. Sed si inter Cæsarem & status alioſve de patrimonialibus oriatur dissidium, iure quoque Cæsar debet contendere. *capit.art.24.*

16. Coram quo autem Cæsar debeat experiri, aliquanto est impeditius, ita discreverim: aut contingit controversia Cæsarem ut Cæsarem, aut ut Principem Imperii. Si ut Cęsarem, aut ratione Patrimonii Imperii rerum vel Allodialium vel feudalium: vel contractus Cæsarei: aut ratione potestatis imperandi. potestas impe-

imperandi, seu jurisdictio, quæ solius Cæsaris est propria, nullius jurisdictioni poterit subesse, quia in potestate reddendi juris non habet superiorem Cæsar nisi Deum: nec etiam habet communem cum statibus. quod si hæc potestas cuiusquam cognitioni succumberet, non esset suprema, sed pateretur ab eo, qui in jurisdictionem Cæsaris judicium redderet. idque tum maxime, quando Cæsar judicium necessario subiret. si autem sponte, frustra de jurisdictione quæritur. quæ in invitum nulla est.

17. Patrimonium Imperii in rebus allodialibus consistens, cum rebus fisci fere coincidit, ac supremæ jurisdictionis essentiam nullo modo ingreditur; quocirca salva maiestate de eo etiam invitus poterit judicium suscipere, perinde ut rex Galliæ de similibus in Parlementis disceptat.

Chaſſan. in Catol. glor. mund. part. 5. Gothof. in l. un. C. ne quis in ſua cauſ. Rerum autem fiſcalium ut olim Procuratoris fiſci, ſic hodie Cameræ eſt juriſdictio *ordin. Camer. p. 1. t. 16.*

18. In feudalibus ad pares Curiæ cognitio pertinet. *2. Feud. 100, Knich. de jur. territ. c. 1. Schrad. de Feud. p. 10. ſect. 5. Vult. 2. Feud. 2. Buxtorff. in diſſ. Aur. Bull. th. 82. & alij ibidem allegati.*

19. Cæterum contractus à Cæſare ut Cæſare initi ad Palatini Electoris cognitionem ſpectant. *arg. Aur. Bull. t. 5. in fin. ord. Cam. p. 1. t. 6.* & argumento eorum, quæ theſi præcedente de juriſdictione diſſeruimus.

20. De criminibus Cæſaris, quæ reipublicæ ſummam conficerent, nec Palatinus ſolum, nec forte Electores ſine cæteris Imperii proceribus ſtatuerint. Etiamſi enim Electio ad ſeptemviros

ros ſolum, jure perpetui magiſtratus pertineat, quem nomine totius Imperii ſuſtinent, non tamen per ſe Electioni ineſt deponendi poteſtas, nec eſt legibus Imperii uſpiam ſolis Electoribus tributa. quocirca ex politicis principiis hac de re ſtatuendū eſt.

21. Communi vero Principum iure utitur Cæſar, ſi ut Archidux Auſtriæ ſeu alius regionis Princeps convenietur, unde & Cameram Cæſari ius dixiſſe refet Buxtorfius: *vvir Carl rc. Rom. Kayſ. enbieten dir Carl Ertzhertzogen von Oſterreich, rc.* adeo etiam Carolus Quintus Imperator ut Archidux Auſtriæ Marchioni Badenſi intenturus litem, requiſivit, ut vigore ordinationis Imperii Principes nominaret. *Buxtorf. d. diſſ. th. 83. in pr.* ubi alia quoque præiudicia adduxit ex Chriſtani Bart. ſententiis Cam.

22. Porro cum rerum omniũ jurisdictionem Imperator Cameræ non communicaverit; decerpere convenit, quæ soli Cæsari retenta Cameræ jurisdictionem limitent, eaque vel ratione rerum, Personarum, vel Territorii.

23. Quo ad territorium eximitur Italia, quæ quatenus Imperio subiecta, non Cameræ jurisdictionem, sed solius Cæsaris agnoscit *Paurm. 2. de jurisd. 6. n.* 277. Sed tamen memini me legere apud Thuanum, Senenses à Camera proscriptos.

24. In personas extraneas Imperii finibus non comprehensas nulla est Cameræ sine Cæsaris assensu iurisdictio; *ord. Cam. p. 3. t.* 48. *in fin.* nec enim processus contra eos decernere potest: *d. l.* nec promotoriales impartiri, *Schvvan. lib. 1. c. 19. Paurm. d. l.* quod an ita servetur non ausim dice-

dicere, nam in allegata *ord. part. 2. t. 26.* nihil ea de re statuitur.

25. Rerum iurisdictio denegata Cameræ, est vel Allodialium, vel Feudalium vel Spiritualium.

26. Spiritualium: ut causarum matrimonii *Gail. 1. obs. 102. in fin. memorial. vom jahr 70.* ubi assessoribus iniunctum fuit, *daß sie sich der* matrimonial *sachen entschlagen sollen. Thom. Mich. de jurisd. th. 39.*

27. Feudalium quidem cum regia dignitate à Cæsare dependentium iurisdictio, diserte Cæsari remansit. *ord. Cam. p. 2. t. 7.* tum scilicet, quando alterutri litigantium parti feudum penitus abiudicandum est: his feudis includuntur Baronatus, & quæque tandem feuda quovis signata titulo, superioritate seu regia dignitate insignita sunt: *arg. d. t.* idem in parte regii Feudi obti-

nere affirmat. *Schrader. p.* 10. *S.*2.

28. Sed Feuda, quibus non annexa est Regalis dignitas, Cameræ iurisdictioni subesse constat, ex *pr.*2.*ord.t.*27. & adducta à Gailio præiudicia veræ interpretationis argumenta suppeditant.1.*obs.*29. nec quicquam obnititur Paurmeisterus, quod iurisdictio Feudorum Cæsari ut Domino, non vero ut Regi Romanorum ex iure Electionis conveniat.prorsus quasi Imperator Feudorum ab Imperio dependentium,alio quam Electionis iure sit Dominus.nam primo legitima Electio Cæsaream potestatem confert, unde omnis & Feudorum & Allodii iurisdictio producitur, ut sic causa causæ,sit causa causati.

29. E civilibus seu Allodialibus,reperias,quarum jurisdictio Cameræ nulla sit.

30. Et

30. Et vel Personarum dignitatem respiciunt, vel res externas.

31. Ad Personarum dignitatem spectat ius sessionis in comitiis Imperii, cuius ut constitutio, ita & redditio solius Cæsareæ est Maiestatis. *receſſ. anno* 70. §. *nach dem auch*, §. *dämnit nun*, §. *den andern aber Denaiſ. jur. Cam. t* 287.

32. Ex rebus externis tam pœnalibus quam civilibus sibi Cæsar retinuit.

33. Et pœnas quidem extra ordinem à typographis pictoribusque exigit, qui famosos libellos ac picturas in aliorum ignominiam ediderint pinxerintque *receſſ.* Anno 70. §. *darumb gebieten Denaiſ. t.* 177. §. 7.

34. Rei nummariæ quoque jurisdictio ad circulos & Cæsarem spectat: *receſſ.* 70. §. *da aber*: sed tamen Camera quoque cognoscit inhibetque.

35. Ac adeo capitulationis legibus incumbit Cæsari, ut eripiat ius monetæ, si qui, præcipue vero civitates mediate Imperio subiectæ, leges nummarias seu edictum monetarium violaverint. *capit. Matth. & Ferdin. art.* 31.

36. *Pfennige und Heller* præter permissionem circulorum & necessitatem cusi à Cæsare & circulis interdicuntur & confiscantur. *recess.* 70. §. *da aber. Denais. t.* 192. Et circulorum in re monetaria negligentiam Cæsar coercet. *recess.* 70. §. *als vvollen vvir* §. *Da aber ein. Denais. t.* 192. *n.* 42.

37. Cęsaris quoque cum Electoribus Rhenanis curatio est, ne quid omnino nundinis Francofurtensibus in leges nummarias admittatur: *recess.* 70. §. *vnd aussz sondern.*

38. Solus hac de re prospicit Cæsar in cæteris Imperii civitatibus. *recess.* 70. §. *dergeleichen.*

39. Saxo-

39. Saxoni autem & Brandeburgico Electoribus mandat, ut eandem rem in suis ditionibus curæ habeant. *receſſ.* 70. *d.* §. *Denaiſ. d. t. n.* 44. *& ſeqq.*

40. Præterea quædam, quæ proprie pœnam non continent, Cameræ iuriſdictionem defugiunt.

41. Et quidem res publici patrimonii & fiſcales: Ducatus, Comitatus, Territoria, Oppida, Arces concernentes. Quæ in Camera ſine Cæſaris aſſenſu non ventilantur *ord. Cam. p.* 1. *t.* 16. ut proinde non ſit hic propria, ſed delegata iuriſdictio.

43. Publici Patrimonii ſunt contributiones Imperii, ubi ſi qui ſe pluris, quam oporteat, cenſos arbitrantur, ii querelam ſuo circulo deferunt, qui per delegatos ex æquo & bono cenſus ſummam moderetur, atque inde ad comitia deputatorum provocatio

catio est, quibus pari utrinque numero discrepantibus Cæsar Colophonem imponit. *recess.* 40. *Denaisi. t.* 191. *per tot.*

43. Excepit quoque à Cameræ iurisdictione denegatæ in iudicio Rotwilano iustitiæ, & nullitatis querelam Paurmeisterus. 2. *de jurisdict.* 6. Sed cum omnium rerum, quæ non speciatim exceptæ, sit Cameræ jurisdictio commissa: *ord. Cam. p.* 2. *tit.* 27. Et nullibi, quod sciam, superiora legibus vel usu excepta reperiantur, non convenit tam lubricis argumentis Cameræ jurisdictionem restringere.

44. Proscribere etiam status Imperii, inconsulto Cæsare nequeunt Camerales: *Heig.* 1. *quæst.* 9. nec quenquam in causis maioris momenti à Banno absolvere *ord. Cam. p.* 2. *t.* 18. §. *so auch. Gail. de pace publ.* 2. *c.* 8.

45. Delegati item in causis pri-

primæ instantiæ inter Principes reos & inferioris ordinis actores à Cæsare non Camera Impetrantur: *ord.p.2.t.4.§. Zum vierdten.§. Zum sechsten. Denaiſ.tit.158.*

46. Denique Camera ipsa in Personalibus Cæsari succumbit. Et Cæsar sæpius Camerę causas ad se initio delatas delegat. *Gail.1.obſ.121.n.3.Heig.1.q.9.*

47. His igitur exceptis, reliquorum communis est Cæsaris & Cameræ iurisdictio, nisi forte adhuc quędam minuta usus ademit: *ord.part.2.t.27.*

49. Sed dissimilis cum personarum, tum rerum conditio facit; ut vel recta, vel provocatione ad Cameram causæ deferantur, quas cum complures luculenter & exquisite editis voluminibus definiverint, nobis extremo digito eas attingere ad instituti rationem abunde sit.

49. Recta autem pertinent ad Came-

gentia vel dolo, pacis turbatores, quantum in ipsis est, non compresserint. *ord. Cam. p. 2. t. 9. recess.* anno 48. 55. 66. 70. *Denaiſ. tit.* 211. & 212. *Rhoding. Pand. 1. tit. 7. Mind. 1. de proceſſ. extrah. c. 22. & ſeqq. Gail. de pac. publ.*

54. Suſpecti, non tamen violatæ pacis manifeſti, ſui purgandi cauſa, & in Camera, & coram Cæſare, & ordinario loci conveniuntur: *ord. p. 2. t. 10. in pr. verſ. Doch daſz er dem Richter.*

55. Immerito autem ita inſimulati, temere intentati criminis querelam itidem ad Cameram deferunt. *ord. d. l. in fin.*

56. Et quicquid demum, publicæ pacis legibus prohibitum eſt, recta Cameræ Iuriſdictioni ſubiicitur *ord. p. 2. t. 11. & ſeqq. Mind. dd. ll.*

57. Cauſæ quoque fiſcales recta ad Cameram ſpectant. *ord. p. 2. t. 20. Rhoding. l. 1. t. 8.*

58. Pe-

ut causa constitutionis de l. diffamari: *Gail. l. observat.* 10. denegatæ & protractæ justitiæ: *ord. p. 2. tit.* 26. Mandata, cum vel sine clausula, quando rei qualitas sua sponte non est Cameræ subiecta. *ord. 2. c. 23. Gail. l. observ. l. n. 5. & obs. 13. in fin. Rhoding. l. cap. 12.* atq; hæc fere sunt facta, quæ Cameræ jurisdictionem sua quæque ratione in prima instantia subeunt. Sunt etiam pari iure res quædam patrimoniales.

64. Et quidem Allodialis litigiosa inter immediatos possessio, quæ turbas facile in Imperio conciret *ord. 2. tit. 21.* Etiam inter mediatos, si res, de cuius possessione quæritur, dubii sit territorii: *ord. d. l. §. VVo auch.*

65. Imo alterutro immediatorum petente, vel etiam ex officio poterunt Camerales litigiosam possessionem in Sequestro ponere. *d. t. §. fin.*

66. Par est condito Principum, qui ob connexitatem causæ, coram separatis cuiusque Principis ordinationis iudicibus, conveniri non poterunt. nimirum his casibus Cameræ iurisdictio est *receſſ. deput.* Anno 1600. *Rhoding.* l. *t.* 4. *n.* 5. *Denaiſ. t.* 97. §. 2.

67. Eodem pertinet, si quis, cui iudicis ex ordinatione nominandi ius est, cum ministris subditisve ob causam cum iis communem convenietur: *d. receſ. deput. Denaiſ. d. loc.* §. 3.

68. Feuda quoque, quæ immediate ab Imperio sine regia dignitate dependent, nec ob personæ conditionem sub iudices ordinationis primæ Instantiæ cadunt, Cameræ iurisdictioni subsunt. *ord. t.* 27. *p.* 2. *Gail.* 1. *obſ.* 29.

69. Dandi præterea tutoris confirmandique potestas Cameræ

ROMANO. G
tæ comperit, si pu
sint immediati. G
num. 47.

70. Ut &, si
de potestate conf
dissideant. *receſſ. d*
Rhoding. l. 18. *num*

71. Item actu
diciales Camera
subiecti sunt, ut e
testium commiss
tuam rei memor
l. n. 16. *& obſerv.*
t. 18. executiones
rum, arbitroru
rum. *Gail d. l. n.*
dinationis. *ord. p.*
d. t. 18.

72. Personas,
statim in exordi
Camera accurate
Rhod. 1. *Pand. Ca*
quas inde huc as
precium.

73. Cæterum

ræ competit, si pupillus ac tutor sint immediati. *Gail.* 1. *observ.* 1. *num.* 47.

70. Ut &, si duo immediati de potestate constituendi tutoris dissideant. *recess. deput. Anno* 1600 *Rhoding.* 1. 18. *num.* 5.

71. Item actus nonnulli judiciales Cameræ jurisdictioni subiecti sunt, ut examinandorum testium commissiones ad perpetuam rei memoriam. *Gail.* 1. *obs.* 1. *n.* 16. *& observ.* 92. *Rhoding. d. l. t.* 18. executiones item sententiarum, arbitrorum vel arbitratorum. *Gail d. l. n.* 50. iudicium ordinationis. *ord. p.* 2. *t.* 8. *Rhoding. d. t.* 18.

72. Personas, quarum intuitu statim in exordio litis adeatur Camera accurate satis descripsit *Rhod.* 1. *Pand. Cam.* 4. *n.* 11. *& seqq.* quas inde huc asscribere non est precium.

73. Cæterum si à superioribus

fuerimus digressi, statuitur diserte non esse prætereunda, si qua sint inferiora iudicia, sed tum demum rem provocatione Cameræ deferendam, si intermedii judicis copia defecerit.

74. Immediata autem illa judicia vel ex solo iure magistratus, vel jure magistratus & commercii simul conveniunt.

75. Quæ iure magistratus simul & commercii, ordinaria sunt, vel quodammodo delegata.

76. Jure magistratus & commercii dico, quoniam iam pridem inferior jurisdictio in solo reipublicæ munere consistere desiit, sed cœpit esse res patrimonialis; ex quo est, quod maiestas non perinde ut olim, pro arbitrio jurisdictionem abroget. nequiter enim maiestas bona in commerciis posita adimit subditis, nisi id etiam atque etiam reipubli-

publicæ salus exposcat. tanto autem facilius eripietur jurisdictio, quanto neglecta iustitię administratio, præter cætera reipublicæ pernicioſior plus detrimenti parit.

78. Sed ordinaria judicia sunt statuum Imperii, qui sive Principes, Prælati, Comites, sive Civitates consimili prorsus suis subditis jurisdicendi potestate pollent: ut fere sua sponte intelligitur, & ex iis, quæ *Paurm. 2. de jurisd. 9. 10. 11. & fin.* capitibus proposuit, claret lucidissime.

79. Indulsit quidem uberiora aliis Imperator, aliis constricta magis appellandi privilegia, quæ recenset Mindan. *de proceſſ. in append. lib. 1. & Rhoding. 1. tit. 20.* sed illa non tam jurisdictionem, quam appellandi licentiam determinant.

80. Par quoque in aliis immediatis huius jurisdictionis ratio

tio est, etiamsi in statibus non numerentur; veluti nobiles immediati, ac adeo in nonnullis Civitates.

81. Delegata porro, quæ hic dicimus judicia, quodammodo etiam compromissum redolent, ut colligere est ex *p. 2. ord. t. 2. §. fin.* evidentius ex *pr. d. t. vers. vvelche sonderliche, rc.*

82. Hæc autem judicia sunt judicum ordinationis, quos Germanismo, austregas dicimus, de quibus exacte satis ipsa ordinatio. *p. 2. t. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.* & explicatius Mindanus 1. *de proceff. 16. 17. 18. 19. Rhoding. 1. t. 4.*

83. Delegata autem hæc sunt judicia non ratione muneris sed personarum: etenim munus horum iudicum perpetua lege sancitum est *ord. d. l.* ac idcirco in abstracto ordinarium. Sed iudices defuncturi hoc iudicandi officio à partibus designati à Cæsare delegan-

legantur. *arg.* §. 1. *verſ. daſz. auch derſelbe anzunehmẽ vnd zu volzführen, rc.* Et ſane perennis huius iudicii ordo in univerſis conſiſtit, ex quibus litigaturi ſuo arbitratu ſingularem ſibi iudicem eligunt, cui deinde à lege publica ſeu Cæſare iuriſdictio commiſſa eſt *ordin. d. t.* 2. Quia igitur arbitrio partium eligitur, non ſuo iure, ſed alieno beneficio, hac iuriſdictione perfungitur.

CAP. XVII.

De Iudicio Rotvvilano & VVeſtphalico.

1. IURE tantum magiſtratus competit iuriſdictio dicaſterio Rotwilano, quod etſi ante Cæſareæ ſolum aulæ ſuccubuit, poſtea tamen Imperatores inſtitutæ id Camerę ſubdiderunt. quanta vero iſtius à Cunrado Suevo anno 1146. inſtituti iudicii

sit autoritas & iurisdictio. Wehnerus præter cæteros perstrinxit. *lib. obs. pract. verb. Ehehafften. & verb. Rotvveilische Hoffgericht.* ac adeo ipsa iudicii ordinatio à Maximiliano secundo reformata pleraque suppeditat.

2. Non omnino dispar est facies iudicii Westphalici, cuius iudices Barisellos appellat Zasius, eosque à Sicambris Westphaliæ proditos, quamlibet orbis arborem pro territorio habere. Nam ex privilegio iis indultum perhibet, ut ubivis locorum deprehensos, facinorosos sine proprio tribunali coerceant. *Zas. in l. 3. de jurisd. n.* 30. Sed Sichardus *in l.* 1. *n.* 17. *C. de hær. instit.* certis limitibus circumseptam eorum iurisdictionem refert, perinde ut iudicii Rotwilani. primordiū huius iudicii à Carolo Magno cœpisse in *rec. Imp. ann.* 1441. *& ann.* 1495. traditur, videatur *Avent. in Chr.*

Chr. lib. 4. Ioan. Pom. *in der Sachsischen Chron.* Munst. *in Cosmograph. l.* 3. *c.* 451. Avocationē *vom VVestpfalischen gericht* & abolitos processus ex Sailero tradit *VVehn. lib. obs. in verb. VVestpfalisch Freygericht.*

3. A Compromissariis quoque immediatis petita nonnunquam ad boni viri arbitrium reductio à Camera impetranda est, de quo Gail. 1. *obs.* 1. *n.* 49. & *eod. lib.* 149. 150. *per t. Rhoding.* 1. *t.* 33.

4. Quomodo autem ab illis & istis appelletur Camera, & quid undequaque ad competentem Cameræ iurisdictionem desideretur, id complures *Mynsing. Gail. Mind. Rhod. Denais.* hi pressius, illi explanatius docuerunt. necquicquam ego hic actum egero.

5. Atque ita rite deductæ ad Cameram causæ sine interpella-

tione cuiusquam ac sine metu avocationis, appellationis, vel supplicationis peraguntur. *Ord. p.2.tit.35.& p.3.t.51. Gail.1.obs.41.*

6. Sed tamen, si qui Cameram iniquius contra se statuisse serio putaverint, iis remedia suppetunt quibus contra utantur. Et quidem restitutio in integrum eiusdem est iurisdictionis *ord.p.3. t.52.recess.anno 1600.*

CAP. XVIII.

De Revisione & Syndicatu.

1. SI culpæ dolive arguatur Camera, petita istic revisione & hic syndicatu ad visitatorum jurisdictionem decurritur, qui cognitis assessorum decidendi rationibus ac pensitatis deinde causæ momentis vel confirmant Cameræ sententiam vel confringunt *ord. Cam. 3.t.53.* Et interea temporis non licet Cameræ exequi sententiam, si causas

causas alimentorum & mandatorum de relaxandis captivis exceperis *recess. anno* 1600. §. *als auch streit fürgefallen, &* §. *belangent aber, rc. Gail.* 1. *obs.* 54. *n.* 3.

2. Quo vero ordine status Imperii visitent Cameram & quis sit revisionis processus Denais. *t.* 322. *t.* 271. 297. *&* 330. exacte expressit & fusius Beud. *de revis.*

3. Postremo definitam sententiam, quæ quovis pacto in rem iudicatam transivit, Camera exequi mandat *ord. p.* 3. *t.* 48. 49. 53. §. *im fall. aber.*

4. Idque prout ratio causæ desiderat, vel per viam executorialium, vel mandata, quibus iudici à quo executionem iniungit. utraque ratio exequendi sine clausula decernitur, quia res iudicata habetur pro veritate *l. res judicata de Regul. Iur.*

6. Atque ita ius exequendi in

cauſis præcipue à Camera definiris, eſt penes Cameram: ipſa vero executio, quæ in facto conſiſtit, à condemnati ordinario magiſtratu expedienda eſt. Si vero condẽnatus immediate imperio ſubſit, circuli, quo comprehenditur cõdemnatus, eſt executio, qui ſi rei exequendę ſit impar, proximi circuli in ſubſidiũ arceſſuntur. *ord. Cam. d. l. Gail.* 1. *obſ.* 113. Et hoc eſt quod dicit *Thuan.* 2. *Hiſtor.* propterea conſtitutos eſſe circulos, ut publicæ paci conſuleretur, & leges Imperii latæque ſententiæ executioni demandarentur. nam circulorum, inquit, Conſilia pene nullam iuriſdictionem, ſed deliberationẽ duntaxat de executionis modo & ordinanda re bellica, auxiliisque manu armata expediendis, habent. & Gail. *d. l. n.* 8. ait, nudus executor nullam habet juriſdictionem, quod præſciſe de ſtatuendo executio-

cutionis jure accipere oportet.

7. Atque hi sunt, qui perpetuo in Imperio, sive jure maiestatis, sive magistratus ius dicunt, exequenda quoque vicariorum tempore interregni, & regis Romanorum jurisdictio foret, nisi me levasset hoc onere Buxtorfius *in erudita dissert. ad Aur. Bull.* ubi iura vicariorum eleganter executus est. & *Paurm. 2. de jurisd.* ubi de jurisdict. Regis Rom. istic tamen advertendum regis Rom. iurisdictionem ex cuiusque regis propria capitulatione potius, quam aliunde æstimandam esse, nam Ferdinandi Primi Regis Rom. longe uberior fuit potestas, quam Maximiliani Secundi & Rodolphi Secundi. Et hæc civilium in Imperio & sacrarum rerum iurisdictio: Iam pauca de bello.

CAP.

CAP. XIX.

De Iure Armorum.

1. CONSISTERE autem rempublicam, vel æquissimis legibus temperatam, nequire, quam hostili violentia petitam armorum vi contraria non propugnes, dicere quid attinet? Breviter de re ipsa.

2. Nunquam autem ancipitem belli fortunam jure subiveris, nisi ingruentem Reipublicæ vim nequeas leniori remedio profligere, adeoque nisi ex suscepto bello major emolumenti spes, quam damni metus ostenditur, ut prudentissime August. Cæsar, *apud Sueton.* Et magis Imperatorium putat Cæsar 1. *de Bell. Civil.* consilio protegere suos, quam gladio ambiguos belli eventus periclitari: Et cum politicam potestatem, & Consilia unica reipublicæ salus mensuret,

ret, convenit prorsus, salvos cæteroquin innoxios subditos, mavortio furori nequaquam obiicere, ubi his quidem moribus non modo ab hostibus, sed proprio milite, perruptis officii, pietatis, pudoris ac justitiæ repagulis, omnia nequitiæ genera sustinenda sint. pro strenuis iam habentur, ac magnam inter suos ferunt laudem, qui quam maxime in vitiis se volutare cum huius & æternæ salutis iactura nihil formidant. ut prope iam nihil aliud sit armis accingere suos, quam in vitiorum tradere palæstram, ubi vel Lycurgo ad nequitiam pollecto, strenue proprio exitio desudascitur. quid commemorem in bello fortunæ ludibria? quæ, dicente Cæsare, cum in reliquis rebus, tum maxime in bello parvis momentis, tantas rerum commutationes efficit, ut qui sua potentia confi-

in-

indubitatam sibi victoriam pollicentur, lævi sæpenumero momento in præcipitia ruant. Pompeius magnus, quem Cicero *in ult. Catil.* ob rerum gestarum multitudinem omnibus Romanis antepositum, in Campis Pharsalicis iam iam cum Cæsare prælio decertaturus, in peritissimorum Ducum concilio dicere non dubitavit: priusquam concurrerent acies, fore, ut exercitus Cæsaris pelleretur. Id cum essent plerique admirati, scio me, inquit, pene incredibilem rem polliceri, sed rationem consilii mei accipite, quo firmiore animo in prælium prodeatis, &c. quæ cum dicta essent in concilio, magna spe & lætitia omnium discessum est, ac iam animo victoriam præcipere videbantur: quod de re tanta, & à tam perito Imperatore nihil frustra confirmari videbatur. Sed victus in prælio Pompeius,

peius, tantam se opinionem fefelisse sero ingemuit, ut à qua consilii ratione certam victoriam spospondisset, inde accidisset exitii initium. Tam demens scilicet est imprudentia humani ingenii, cupiditate opum, gloriæ, aut qua alia impotentia inflammati, auream pacis dulcedinem dubio Marti sine necessitate postponentis.

3. Sed tamen induenda esse nonnunquam arma in propatulo est. ne destituta eorum præsidio respublica quicquam detrimenti capiat.

4. Bellandi autem causas à jure & institutis singularis cuiusdam reipublicæ repetere, perinde est ac omnium gentium Principes civilibus Romani Imperii legibus illigaremus, quo nec ridiculosius quicquam, nec indoctius statueretur. omnis videlicet Imperii potestas subiecti tan-

tum patientis finibus describitur.

5. Quoniam igitur omnes communis naturæ lege ad unam vitæ & officiorum societatem, hominum conditor Deus devinxit, omnium salutem merito juvandam consentaneum appareret : quare & ob communem gentium beatitudinem instituta Imperia, se mutuo divinitus colligatæ societatis lege adiuverint. unde vel pro nostra vel pro aliena republica belligerandi causa suboritur.

6. Aliena respublica vel Imperio regitur legitimo, vel tyrannico, vel barbarico & belluino.

7. Legitimo Imperio iure succurrimus, si iniquam vim & perniciem, unde unde illatam, nostra ope, vel non appellati propulerimus. Etenim hoc exigit nostra copulatio, ut mutua præsidia

sidia præstemus, etiam non acciti, unde & leges nostræ obnoxium culpæ iudicarunt, qui cum possit, malum non prohibeat. *l.*109.*ff.de* R. *I.*

8. Tyrannide quoque oppressa respublica cum cuiusvis, tum imperantium maxime ope liberanda est; ut enim legitimam potestatem tutari cuiuslibet interest reipublicæ, ita iniustam dominationem à sociis depellere promiscua officii ratio magnopere approbat.

9. Brutorum more vel nullo etiam Imperio recti populi (quorum complures invenias apud Boterum & alios Cosmographos) quo tandem maiori beneficio afficerentur, quam si homines humanam rationem sectari, vel docerentur vel cogerentur, à feritate & miseranda, nonnunquam etiam diabolica caligine ad rectæ rationis usum deducti.

Iure autem hos ad propriam salutem domari, nemo inficias ibit, nisi qui pariter furioso seipsum transfixuro, telum iure eripi infitebitur.

10. Sed propriæ reipublicæ multo arctius sumus obligati, cuius incolumitas vel vita nostra nobis charior esse debet.

11. Salus vero reipublicæ, personas, res & existimationem complectitur.

12. Pro personis rebusque tam sacris quam profanis tuendis, quin armis contendere liceat, non ambigitur, quod ita ubique accipi volumus, nisi nulla sit alia ratio expediendæ salutis.

13. Existimationem quoque rerumpublicarum merito armis defendi Hanonis Ammonii regis exemplum declarat 2. *Sam.* 20. qui quoniam missos ad se Davidis Legatos ignominiose to-

tonde-

tonderat, immuniti honoris notam accerrimo bello, ac horribili suppliciorum genere luit. 2. *Sam.* 13. atque adeo nihil tantopere Imperium, quam fortitudinis & justitiæ opinio à peregrinorum iniuriis communit. alliciuntur contra hostes, si obnoxia iniuriis respublica videatur, & nihil æque deterret inimicos, quam si fortissimum populum, non temere lacessendum didicerint. Et hæc sunt genera justitiæ bellorum.

14. Nec tamen cuivis bellandi facultatem dari existimandum est, simul ac superiores bellorum causæ oboriuntur. Nam & in civilibus jurisdictio, & ius belli reipublicæ administrationem pariter concernunt: eam vero maiestatis propriam ex superioribus cognoscere licuit.

15. Omnis autem belli ratio, decernendi potestate & admini-

ſtratione belli perficitur.

16. Decernitur bellum vel inferendum vel ſuſtinendum. de inferendo Comitia ſtatuunt *receſſ. Imp. anno* 1495. *c.* 3. §. *auch ſollen vvir. cap. Feud. art.* 9.

17. Contra expedit arma ſuo arbitratu Imperator, ſi Imperium bello petatur *capit. art.* 9. ut & ſtatus, ſi ſubito hoſtium incurſu è veſtigio Cæſaris copia haberi non poſſit *receſſ. Imp. anno* 55. §. *vnd ſol in* 64. putem idem licere quibuslibet ſubditis, ſi per ſtatuum ſocordiam hoſtis impune graſſetur, *arg. l.* 10. §. 15. *ff. quæ in fraud. credit. l.* 7. §. 3. *ff. quod vi aut clam.*

18. Sed ad expeditionem multa requiruntur, quæ partim in republica comparantur, partim petuntur aliunde.

19. In republica conſcribitur exercitus, quod decreto iam bello Cæſari in qualibet Imperii pro-

provincia licere, argumento capitul. colligitur. parantur arma, quod non ſtatibus tantum, ſed quam multis civitatibus municipalibus licere experientia docet, unde jam privatis in Imperio jus armandiarum convenire perſpicitur, ſecus ac antiquitus licebat. Angariæ & Parangariæ, Plauſtrorum & navium præſtationes in Cæſaris manu ſunt.

20. Aliunde ſæpenumero arceſſuntur ſubſidia unde jura fœderum profluxerunt, quæ ratione Imperii antea nonniſi in comitiis pangebantur. *receſſ. Imp. anno* 1495. *c.* 3. §. *auch allen*, &c. Sed Ferdinandi Cæſaris Capitulatio imperatoris tantum & Electorum conſenſum deſiderat. *c. art.* 6.

21. His jam rite ſupperentibus belli adminiſtratio inſequitur, quam itidem capitulatio Cæſari reliquit. *cap.*

22. Ut & magistratuum militarium creationem. Ducis scilicet, Tribunorum, &c. quod etiam arguere videtur *receſſ. Imperii. anno* 1594. §. *Vnd ob vvol auch.* nisi quid forte consuetudo Cæsari detraxit, de qua non satis compertum habeo.

23. Susceptæ postea militiæ artes sunt communes, non propriæ Imperii: nec quisquam de iis prudentius, quam Scipiones, Marii, Cæsares, Mauritii, Henrici & Spinolæ præceperit. Marius *apud Saluſt. in Iugurth.* Extant Obrechti, Schvendii, Busbequii, Lanovii, & aliorum de re militari commentarii.

CAP. XX.

De Iure Legationis.

1. SED nec fœdera ici, nec indici bella, nec iterum coire concordia, nec ulla reipublicæ cum exteris negotia expedir

pediri possunt sine interventu Legatorum. Ex quo intelligitur iis ius Legationis competere, quibus de republica cum exteris agere fas est, is enim Legationis finis, Legatorum jura determinat. Cæsari igitur Imperii nomine mittendi Legati jus convenit, nisi de fœderibus aut omnino de bello quid innovet. quorsum enim hic pertineret Legatos mittere, quibus non possit agendi potestatem committere? Didicimus autem paciſci cum exteris de rebus Imperii, aut bellum movere, non solius Cæsarei esse arbitrii *d. capit. art. 6. & 9.* Sed & an Cæsaris in aliis legandi potestas prorsus illibata sit, dubium fortassis faceret; §. *Darauff dann Churfürsten*, &c. *recess.* 1594.

2. Hinc jam proclive intellectu est Legationis jure non fruiſci, qui in Imperii communionem

non admittuntur. unde ablegati à civitatibus municipalibus perinde ut ab aliis, qui privatorum loco censentur, rerum privatarum sunt procuratores, penitus seiuncti à iure Legationis. *arg. l. 16. ff. de V. Sign.*

3. Quid dicam de Principibus ac statibus, quibus aut cum Exteris aut Civibus contentio est.

4. Et cum inter Cives, armorum contentio nunquam non rempublicam pessundet, & semper iniqua ratio sit, arma contra rempublicam & cives movendi, nec bellum, sed civilis dissensio appelletur; legibus non armis componenda: Eapropter quibus, quibus inter status exortis dissidiis per constitutionem pacis publicæ, nefas est hostilia moliri, & coactis copiis cuiquam bellum vel denunciare vel facere: *recess. Imp. anno 1548. cap. 3. §. Als*

vvey-

vveyland Kayſer. receſſ. anno 1495. *c.* 2. §. *VVir ſetzen auch hindan.* &c licet antea ſtatus nonnunquam bella licite cierent. *Aur. Bull. c.* 17.

5. Poterunt tamen ſtatus jurium ac obedientiæ in ſubditos poſſeſſionem abſque fractæ pacis periculo armata manu tueri, & vi interverſam convenienti occaſione repetere, ut liquido argumento oſtenditur *in ordin. Cam. p.* 2. *t.* 9. §. *ſo jemandts hohen, in fin. Gail. de pac. publ.* 2. *nu.* 20. nam jugis eſt obedientiæ poſſeſſio etiam indebita imperantium. detentæ autem poſſeſſionis defenſio & privatis eſt licitia: *l.* 1. §. 27. *l.* 17. *ff. de vi.* &c. Et juris remedia ſunt prodita ſubditis, ſi Domini eos, ut fit, plus debito ſolitoque degluberint. *Gail* 2. *de pac. publ. &* 1. *obſ.* 17.

6. Vim vero illatam propellere, & vi contraria perſequi amiſſa, cuique ſtatuum integrum eſt, non

non in continenti solum, sed quamprimum copiis amicisque collectis facultas præbebitur. *ord. Cam. p. 2. t. 9. in prin. & §. 1. in fin. Gail. passim. de P. P.* Lugenda sane est Imperii calamitas, quam immensa nonnullorum principatuum privilegia nobis peperere-runt. dederunt nonnullis tam enormia privilegia Cæsares, ut vix imo ne vix quidem umbram jurisdictionis retinuerint. Bohemiæ regnum jam tumultuū materies, si Imperii jurisdictionem de Cæsarū voluntate non exuisset, non armis jam, sed jure disceptaremus, vitia hæc sunt reipublicæ, non privilegia.

7. Cum Exteris aut de rebus ad Territorium Imperii pertinentibus contenditur, aut alienis.

8. Illic pacis publicæ constitutio æque servanda est, quia res in judicio disceptari, & iurisdictione

ctione Imperii definiri potest.

9. Hic si propulses bellum in promtu decisio est, si vero inferenda vis est, neque tum puto status legibus Imperii impediri. Competit enim & statibus maiestas, quam exerere, & in suos & exteros possunt, mutuis statuum Cæsarisque non prohibiti conventionibus.

10. Quoniam etiam fœdera de republica percutere ad gerendam rempublicam pertinet, omnis autem reipublicæ administratio vel prima est & majestatica, vel secundaria & per participationem tributa, quæ posterior præfixis à maiestate limitibus comprehensa, non ultra excurrit: videre oportet, ubi status in consortium maiestatis adsciti sint; ibi enim jure suam potestatem propugnant, & licite fœdera iciunt, eatenus scilicet superiorem non agnoscentes, nec tamen

men propterea jungere poterunt, ut quicquam in Imperio innovent, quod ne Cæsari quidem licere capitulatio inculcat, sed ut hunc Imperii statum & sua in propriis ditionibus superioritatis jura tueantur. Etenim si qua vis illegitima statibus in Comitiis jus suffragii & in Ditionibus superioritatem excuteret, læsa à quovis Principum maiestas seipsam recte tutaretur. unde jus fœderum Ordinibus convenire arguero.

11. Legibus tamen conventione in Comitiis conditis obligata statuum superioritas præpeditur, quo minus ubique libere usurpetur, ut supra. Et hinc quoque fœdera de quibusdam inire vetitum est: *recess. Imp.* 1495. *t.3.t.6.* & 1548.3.*tit.*27.

12. Cæterum si inferioribus à maiestate permissum sit fœdera pangere, id privilegium putent.

Han-

Hanseaticum quidem fœdus consuetudo firmavit, de quo desino dicere. Sane civilibus dissensionibus ac proinde exitio prope rempublicam judico, in qua vel defensionis prætextu privati cõspirant. Nec immerito Carolus Imperator à Smalcaldicis, fœdederis capita postulasse mihi videtur, visurus ecquid etiam ultra suam, quam habent maiestatis communionem, pepigissent. nam meminerimus in multis Imperii proceres magistratuum iure uti, non maiestate fruisci.

13. Ex eodem fonte statibus ius Legationis affluit, de quo ut re indubia frustra hic esse fusior.

CAP. XXI.

De vitiis & contrariis Imperij.

1. VT omnia orta deficere tandem & aboriri, alia intestinis labefactata mor-

morbis, nonnulla extrinseco impetu perculsa, pleraque caduca senectute fatiscere, infallibili naturæ documento animadvertimus, sic communem naturæ sortem respublicæ una subiverunt. pleraſque hostili impulsu cecidisse videas, alias discordia civili ac suo pondere subversas, quasdam momento excisas divinitus, paucas vetustate ac suo senio tabescere. Imperia scilicet tot sunt obnoxia casibus.

2. Sed destruuntur respublicæ penitus aut transfigurantur.

3. Transfigurantur, quando manente essentia in aliam speciem convertuntur, puta Monarchia in Aristocratiam &c. neque his commutatis formis, intercidere rempublicam putemus, cum neutra sit essentialis, ut supra ostendimus.

4. Accidit vero reipublicæ muta-

mutatio tam à civibus quam peregrinis.

5. Peregrini nonnunquam hostili impetu occupatam, nonnunquam misericordia & officio ducti, fessam regiminis vitiis rempublicam, transformant, sed tum restitui rempublicam proprio Imperio oportet, secus enim non conversa sed subversa foret.

6. Cives aliquando mutuo imperantium & parentium consensu prioris formæ pertæsi; sæpius vi convertunt.

7. De priori ius expeditum est, si consensus sit liquidus; at nonnunquam insensili transitu, sæpius etiam arte adhibita, pedetentim alia figura irrepit, quod in nostro Imperio & patrum accidisse memoria, & nostra ætate adhuc sensim contingere, mirum est reprehendere, vel, quod sciam deprehendere neminem, cum tamen tantopere tam Cæ-

saris quam statuum interfit. Sed hoc age.

8. Si vi res agitur, sublimis atque exacti iudicii est decernere, iurene an iniuria subditi contra dominos armati consistant. Etenim vis Imperii & parendi necessitas totius reipublicę compagi innexa est, ut Imperia subditi pati cogantur, quamdiu ex confirmatione reipublicę orta & parendi & regendi relatio consistit. Constit autem, quamdiu moderatores reipublicæ interitum non machinantur. Eousque igitur subditi passive se habent, quia fundamentum relationis in subditis est potentia passiva, ut parte 1. demonstratum est. Hinc igitur, si Dominis subditi restiterint, quantum in ipsis est, naturam pervellunt, quippe, quod passivæ potentiæ sit recipere actionem, non repellere: pati, non agere. unde & passio actionis

nis perfectio, à Philosophis dicta est.

9. Hinc vel Turcæ Imperium ferre oporteret, si legitime imperandi potestatem quæsiisset. nam religio Imperiorum essentiam non ingreditur. ut patet *ex c.* 13. *ad Rom.* 1. *Pet.* 2. exemplo Christi, Pauli *Act.* 22. 25. & Apostolorum.

10. Non tamen hoc eo pertinet, quod omnia etiam iniuste ac impie imperata facienda sint: naturæ enim & Deo debita civilibus præceptis non succumbunt. Sed quod resistere ac clavum reipublicæ excutere non liceat etiam nequiter viventibus: & inique præcipientibus, nisi summam reipublicæ flagellent. Iuste quidem nequitiam luerent huiusmodi Tiberii, sed subditi non possunt pœnas exigere propter defectum jurisdictionis, ac hinc adeo est, quod dicitur maie-

ſtatem non habere ſuperiorem niſi Deum; qui graviſſimus principum ultor eſt. *ut ait Salom. in Prov.* & hoc quidem minus impeditum, ſi ſimplex eſt reipublicæ forma.

11. Sed cum inter plerasque noſtra quoque respublica mixta ſit, magnopere exquirenda eſt miſcendæ reipublicæ ratio, ut ſciri poſſit, quis hic & illic Imperio polleat. ſcilicet ubi ſolius Cæſaris eſt Imperium, dicto audientes omnes eſſe oportet: ubi ſtatuum ſimul & Cæſaris; ibi communis iuriſdictio ſuſpicienda eſt; necquicquam ibi Cæſar ſolus præcipiat: etenim ut illic necimperandi poteſtas ſoli Cæſari competit, nec proinde ulla obligatio parendi incumbit ſubditis, ſic talia Cæſaris Imperia ultra poteſtatem ſeu iuriſdictionem ius dicentis impune, imo iure, reiicimus. Eadem eſt ſta-

tuum

tuum ratio, illic quicquam præcipientium ubi solius Cæsaris est iurisdictio. Quæ vero solius Cæsaris sit maiestas seu suprema iurisdictio, & in quibus Cæsaris & statuum communis potestas Aristocratici Imperii genus efformet, id per totam dissertationem tentavimus, distinctis ubique rerum partibus, extremo licet digito depingere.

12. Ex superioribus cognoscitur quam absurda fuerit & ridicula Philippi Hispaniarum regis Commissio, qui Alvari Albano pro gubernatore in Belgium eunti, pleniſſimam rerum omnium, quam ipse non habebat, potestatem demandavit, vel obtritis & convulsis quibuslibet privilegiis & juribus. Sed Albanus huius impotentis mandati vestigia ita pressit, ut rebellarint-ne Belgæ, an propriam in gerenda republica potestatem propu-

gnarint, non adeo abditi sit intellectus. Sane mireris Belgas, hanc suam Imperii communionem ubique privilegia appellasse, cum jure proprio, non privilegiis, quæ alieno beneficio accepto feruntur indequè dependent, de regimine participarint. non secus fere; ac si quis proceres Imperii non maiestatica potestate sed precario privilegii iure, comitiorum participes putaret. videat Lector *Metter. p. 1. lib. 3. Thuan. 39. Histor.*

13. Iuste inquam Imperii proceres pro modo huius potestatis certis rerum in toto Imperio gerendarũ partibus & propriis regionibus definitæ, belligerantur, & commistam Cæsaris ac suam potestatem à cuiusvis insultu tutam præstant; unde Mauritii Saxonis susceptí contra Carolum V. belli non culpa, sed fortitudo deprædicanda est, qui Caroli

roli Cęsaris dedomita Germania iam triumphantis ac conversō reipublicæ statu omnia ad perfectam scilicet Hispanorum obedientiam redacturi, conatus, ingenti animo repressit. Sed identidem inculco, non omnium rerum intuitu principibus belli potestatem competere, sed tantum illic, ubi communis procerum & Cæsaris jurisdictio est.

14. Abs his fuerit, nihil est tanti, ut subditi justa arma contra supremum Magistratum cieant, vel fraude & dolis legitimam potestatem declinent, quoquo etiam prætextu ac fuco inobedientiam obleverint. nec laicos quicquam, & clericos, ut loquuntur, interest, pariter enim politicæ potestatis indigi consimili parendi jure censendi sunt. nec opus est multis, æquabilem parendi sortem tota scriptura identidem ingeminat, etiamsi à

principiis politicis discederemus. Et obsecro, quid ipsius Salvatoris nostri & Apostolorum exemplis potest esse illustrius?

15. Quo sceleratior est Pontificum Romanorum tyrannis, qui ab imperatoribus primum constitui soliti. Thuan. 2. *Hist.* & omnino subiecti Imperio non solum nefandis artibus jugum Imperii excusserunt, sed horribili divinæ scripturæ abusu, ac diabolicis prorsus præstigiis cum omnia Christianorum regna, tum præcipue Imperium Romano-Germanicum incredibili rabie & audacia attriverunt, neque dum consistere patiuntur. Ecquæ tandem Romani Imperii est maiestas, si ut Romanæ aulæ peniculi supparasitantur, & pontificii status propemodū agnoscere videntur, pontificiæ potestati subiuncta est. nulla, nulla prorsus est Cæsaris & statuum maiestas, si

Impe-

Imperium à Pontifice dependet, quia manifestam implicat contradictionem, maiestatem aliunde dependere. Independens esse dependens. Si peregrinus est Pontifex in nostra republicâ, non solum non liberam, sed nullam rempublicam habemus, peregrini scilicet Principis Imperio obnoxiam. Si civis, neque dum est ulla Cæsaris ac statuum maiestas, sed Pontifex est reipublicę Dominus: cęteri, Cæsar scilicet & Principes sunt subservientes magistratus. Si vero vacuus potestate est subditus Imperii, cur Cæsar & Principes Imperii maiestatem tam probrosa tyrannide conculcari patiuntur? Cur Cæsares ac Electores solio pontificia autoritate depulsi sunt? aut unde obsecro est tam enormis, quam Pontifex sibi vindicat, potestas? aut denique cur non ex communi jure subditorum in ordinem

cogitur? videat lector discursum primum apud Nicolaum Bellum de dependentia Imperii Romani à Pontifice, ubi vix dijudicari potest, plusne imperitiæ & nugarum, an ignominiosæ impudentiæ ac adulationis, hinc & illinc reperiatur. Paulus Quartus, rogatus statim post adeptam dignitatem, quanam ratione & ipse & Ioannis Alphonsi fratris filius, victuri essent: *Magnifice*, inquit, *& ut summum Principem decet* Thuan. 15. *Histor.* ô servum Servorum Dei!

16. Jovius *lib.* 2. *Hist.* Pontificii Imperij fundamenta, opinione hominum constare, scribere non dubitavit. quod mireris in devoto alias pontificiæ autoritatis adulatore. ac ipse Leo Decimus dixisse fertur, mirari se, ut pontificii regni potestas consistere posset, quæ meris nugis & ineptiis niteretur *Mellif. Histor.*

Rem

Rem fictam putarem, nisi autor *discurs. 8. tom. 4. apud Nicol. Bell.* versimilem faceret. is igitur ait: *Non ignorabat Leo Pontifex rem Romanã magis umbra bonæ famæ atq; existimationis, quam externis viribus ac potentia niti.* Nec mirũ, nam solo nominis Ecclesiæ fuco reges ac Principes oblitos dicam, an infatuatos in sua Imperia coegerunt, iis excommunicationis fulmine perculsis, qui enixius suæ maiestatis satagerent.

17. Sed & ipsi principes sæpius, vel acerbitate Imperii, vel facilitate subditos irritant, ut illegitimis quidem armis, ast tamen rebellent.

18. Acerbitas Dominorum sæpe labefactat rempublicam, quando nimio opere fatigantur subditi, aut ita indebitis tributis & oneribus emunguntur, ut subditorum commoda, susque deque haberi, & omnia ad Domini

vel

vel paucorum utilitatem referri tandem hebetibus ſuboleat. unde exhauſti bonis, magiſtratus odio habent, ac ſæpius maleſuada miſeria aguntur præcipites.

19. Sed haud ſcio, annon nimia Principum facilitas pernitioſior ſit: nam improvida Principis minimi mali nimia benignitas facit, ut adulatores ac fures rempublicam depeculentur; Thraſonibus nonnunquam, omnis politiæ ac juſtitiæ ignaris honores, Imperia, magiſtratus tribuantur. Unde fit, ut tenuioribus ſua immanẽ in modum eripiantur, ac pro unius imperio multorũ tyrannidẽ ac avaritiam perferre cogantur, propoſita ſcelerũ ac expilationis immunitate. deniq; publica omnium incolumitas privatorũ commodis poſtponitur, & plebs potentiũ libidine & avaritia oppreſſa jacet. unde tandẽ & publica Principis' & ſub-

subditorum penuria sequitur. prudenter Fronto Consul apud *Dionẽ Cass. in Nerva: malũ est eum imperare, sub quo nemini quicquã concessum sit. sed longe peius, sub eo vivere, sub quo maxime liceat.*

20. Porro consistere rempublicam posse negat salvator, quæ secum dissideat: quo usque igitur dissidia Principum & mutua insectatio rempublicam nostram concutient? pœniteat certe quenquam nostri Imperii, qui anteacti seculi conscius ea quoque, quæ nunc impendent, animo prospicit. Sed præstaret remedia quærere, quam describere morbũ, qui jam reipublicæ corpus nimium quantũ occupavit. Sed non nisi Semideus politicus hic idoneam medicinam adhibebit: atenim attinget seculorum terminum nostra respublica. Ergo supereſt medicina, quæ morbum mitiget.

21. Exe-

21. Exemtio quidem ſtatuum Imperium minus debilitaret, ſi eximentes onera exemtorum, debita Imperio una ſubirent. Edidit eruditam diſputationem Vietor de exempt. Imperii: inde huc deſumi poteſt. Et his modis respublicæ communiter converti ſolent, non funditus occidere, licet hinc ſæpius occaſio interitus exiſtat.

22. Excidiſſe præterea Romanos Imperio, iiſdem artibus, quo id acquiſierant, quo jure negabimus? ubi initio pericula virtute propulerant, ſociis atque amicis auxilia portabant, ait Saluſtius, ſed deinde regnandi libidine domi militiæque intenti amicos pariter & inimicos ſubegerunt. nam Romanis, ut Mithridates ad Arſacem, cum populis & regibus una fuit cauſa bellandi, cupido profunda Imperii & divitiarum. Arioviſtus rex Germano-

manorum injuriam sibi facere Cæsarem Populumque Romanum, apud Cæsar. 1. *de bell. Gall.* queritur, quod se in suo jure impedirent. non igitur si æqui esse volumus, neque nobis ipsis blandiri, eodem jure & acquisitas & amissas provincias tantopere indignemur.

23. Si iusta est causa bellandi, bello occupata victori cedere iuris gentium ratio docuit & civilia iura comprobarunt. si iniusta, nihilominus temporis tractu convalescere Imperia oportet, aut Romanis ad casas redeundum foret, ut ipsis Carneades Philosophus exprobravit. Postquam ad Cæsares summa Imperii pervenit, Parthi principio & Germani, deinde Sarmatæ, Daci, Hunni, Bulgari, Gothi, Alani, Rugii, Vandali, Longobardi, Franci, Normanni, Saraceni, Tartari ac postremo Turcæ, convul-

vulsam Imperii amplitudinem & vires ad hanc quam Germani, Romana civitate donati retinent, reipublicæ faciem redegerunt. quo autem iure superiores in Imperium irruperint, inquirere, est hominis otio abutentis. Satis magnum adhuc Imperium haberemus, ac omnium robustissimum; modo morbos interiores curaremus.

24. Contra subditos denique, quorum pars vi, alii fraude Imperium detrectant, Imperium obedientiæ & subiectionis ius retinet, neque temporis liberantur decursu subditi, non enim ad destruendam sed conservandam rempublicam inducta est præscriptio. utrum vero interfit Imperii vi & armis refractarios in ordinem cogere, de eo Cæsar & status dispexerint.

25. Atque hæc summa sunt capita, ortus, formæ ac regiminis decre-

decrepiti iam, ac seu vitiis, seu senio fatiscentis Imperii; ad cuius iam iurium calcem propitio Deo decurrimus, non quidē satis deductis amplisque passibus, ita tamen positis, ut vel partium digestio hic & hic inconditos disparesque de nostræ reipublicæ juribus vagitus consopiret. abiudicat non nemo omnem omnino maiestatem Cæsari: alii in contrarium nixi tantum non totius mundi Imperium eidem asseruerunt, decepti partim verborum lenociniis, partim falsi ignoratione miscendæ reipublicæ. Quicquid sit, ex disiunctis ubique rerum partibus & Cæsaris sola & cum proceribus communis maiestas hic Aristocratiam, illic Monarchiam, coniunctim vero hinc illinc mixtā reipublicę nostræ speciem efformat. longe, quidem fateor, sive abruptior, sive concisior tractatio, quam &

materiæ ſublimitas deſideraret & amplitudo: ſed iuſta rei ac fuſior executio, in commentarium exitura epitomes modum excederet. Ergo ſtet littore puppis.

EX-

EXPLICATIO

L. 2. C. de Vsucap. pro Hærede.

1. NIHIL pro hærede posse usucapi aiunt in *d.l.* Imperatores, suis hæredibus existentibus: cuis L. explanatio Azonem, Cuiacium, Donellum, quos viros & quantos! magnopere impeditos detinuit, brevi igitur commentario eam illustrare conabimur.

2. Præmittimus autem nunquam hæredem pro hærede posse usucapere, sed eum tantum qui quidem hæres non sit, sed iustam causam existimandi habeat, se hæredem vel bonorum possessorem domino extitisse: *l.* 33. §. 1. *ff. de Vsucap.* idque ita intelligitur; aut res quæ in

hæreditate fuit, titulo fuit à defuncto & bona fide possessa, aut sine titulo & bona fide.

3. Si titulum habuit defunctus, eundem continuat hæres. §. 7. *inst. de Vsucap.* nec sibi potest causam possessionis mutare. l. 5. *C. de acquir. & retin. poss. l.* 33. §. 1. *ff. de Vsuc. l.* 19. §. 1. *l.* 3. §. 19. *ff. de acquir. poss.*

4. Si caruit titulo & bona fide defunctus, tum & hæres vitiorum defuncti successor, ignoratione sua defuncti vitia non excludit. *l.* 11. §. 2. *ff. de publ. in rem. act. l.* 11. *ff. de diverss. temp. præscript. l. fin. C. de Vsuc. pro hared.* unde liquet verum hæredem nec hic nec illic pro hærede usucapere. nec impedit. *l.* 33. §. 1. *ff. de Vsuc.* ubi ait Iulianus: idem hic, qui fundum à non Domino emit, si à Domino hæres institutus fuerit aut bonorum eius possessionem acceperit; incipiet fundum

pro

pro hærede possidere. Hic inquam, verus hæres pro hærede possidere dicitur, at non continuo pro hærede usucapit: cum impossibile factu sit acquisitum jam per successionem dominium quenquam usucapiendo denuo acquirere *l.* 14. §. 2. *ff. de except. rei judic.*

5. Aiunt vero, ut dictum, Impp. suis hæredibus existentibus, pro hærede nihil posse usucapi. Bene est: patuit supra cum tandem pro hærede usucapere, qui justam causam existimandi habuit, se esse hæredem *d. l.* 33. §. 1. *ff. de usucap.* unde cui non est justa causa existimandi, se esse hæredem, is non potest pro hærede usucapere. at quamdiu existunt sui hæredes, tamdiu nemo justam causam existimandi habet, se esse hæredem. Se enim necesse est, vel ab intestato, vel ex testamento hære-

DISCURSUS
De
NATVRA
Nummi.

CUM *primum juris gentium ratione inoleverat, ut aurum argentumque rerum comparandarum precium forent, appendi primo illud in commerciis, ac ad quantitatem ponderis, valorem cujusque rei definire consuevit. Sed cum procedente tempore dependendi ratio molestior videretur, factum est, ut cujusque reipublicæ Principes, certæ quantitatis nummos cudere, eosque certis imaginibus insignire cæperint; publice testati, tantum quemque nummum continere auri argentive, quantum inscriptio, in vim publici testimonii impressa, designaret.*


image
not
available

gubernacula tenent. Vnde etiam videmus, quamque rempublicam sua insignia suis nummis imprimere.

a *Sed ejusmodi insignia faciunt quidem, ut nummus sit nummus, non habita ratione materiæ; nam plumbeus nummus æque est nummus, ac aurens seu argenteus;* b *Sed nequaquam est eadem ratio pretij seu valoris, Cupreus, plumbeus argenteus æqualiter de ratione nummi participare possunt, eadem forma cudi, iisdem possunt insigniri imaginibus; sed ratio & quantitas precii hinc nequaquam sumitur, quæ simpliciter ex jure gentium dependet, & non ad effigiem cuique impressam pluris est vel minoris, sed prout plus minusque de auro ar-*

a Forma nummi omnibus metallis pariter convenire potest.
b Sed valor non est à forma sed ex materia nummi emanat: nam nummus quatenus est nummus, non est precioſus, sed.

gentove participat. a *Argentum igitur & aurum nummis valorem importat, non quidem simpliciter & indefinite, sed quatenus per pondus determinatur. Minor argenti massa æque argentum est ac major, habet enim argentum partes homogeneas: par ratio in auro est: Sed minor majorque argenti massa non ejusdem sunt valoris ac precii: Sed quo quæque massa est ponderosior, eo est preciosior. unde intelligitur veram nummi essentiam, quatenus quidem rerum est precium, in auro ac argento consistere, non illo quidem indefinito, sed determinato per pondus. Ac adeo quemq; nummum pluris minorisve esse precii: quo plus minusve continet seu auri seu argenti. Ex quo etiam factum est, ut Cæsar Imperijque ordines hanc juris gentium rationem sequuti, omne num-*

a Aurum & argentum pondere definitum nummis valorem inducit.

nummorum genus ad ponderis quantitatem in legibus monetariis exegerint. Nec ſane licuiſſet civili conſtitutione communes gentium leges peſſumdare, quas ex naturæ principiis deductas illibatas conſiſtere convenit. Conſtat igitur quod quantitas argenti pondere definita, unica monetæ argenteæ menſura ſit. a *Ab hac ſi vel tantillum abierimus, nummorum eſſentiam imus corruptum: Quam vero hinc ineffabilis exiſtat calamitas & nupera nobis & præſentia tempora declarant.*

Adulterum illud nummorum genus, quod nuper totam patriam nimium quantum emunxit, cum hodiernis teruncijs, vulgo dreieros vocant, & natura & ratione appellandi fere coincidit, & eidem rurſus immergimur luto, unde nondum

a Quantitas argenti pondere definita, unica & vera argenteæ monetæ menſura eſt.

quam tamen propterea equi essentia mutabitur in ovinam. Sed nominis tamen æquivocatio tantam nobis invexit calamitatem. Vbi commune thalerorum & æquivocum nomen audivimus, ibi imperiterem putavimus subesse eandem: Scilicet erroris genetrix est æquivocatio semper. Sane monetæ essentiam non mutat, sive eandem eodem sive diverso nomine appellemus, quia nomina arbitrio vulgi imponuntur, essentiam cuiusque rei non afficiunt.

Vt nuper Schreckenbergeri, ita jam drieri vix dimidiam veri thaleri essentiam seu quantitatem adæquant, & nos tamen eorum 96. ad Ioachimicum & nomine & valore appendimus. Qua ratione nulla est ad patriam iterum expilandam expeditior. Important peregrini infinito numero præter cæteram adulteram monetam drieros, & nostros Ioachimicos eorum nonaginta sex

redi-

redimunt, quos alibi gentium & quidem in vicinia 144. & amplius possunt expendere, quid obsecro hoc est aliud, quam duo argenti pondo cum uno commutare & nostras divitias cum nostro ludibrio nobis à nobis ipsis ereptas peregrinis prostituere. Acerbior est hæc vel incuriæ nostræ vel imperitiæ pœna, quam tamen facile averteremus, si rem ipsam & veram monetæ essentiam sectati, omnia nummorum genera ad naturam reduceremus, tanti quemque nummum æstimantes, quantum contineret argenti. Quod nisi propediem fecerimus, nunquam eluere poterimus calamitatem, quam res nummaria per aliquot nobis annos invexit. Ingessit divina benedictio patrio nostro solo felices divitias, sed iis exuimur ab exteris ad nostrum ludibrium, & propria eaque supina ac oscitanti culpa, aliorumque fraudibus. Si probata tantum uteremur,

ut

ut facile possumus, nostras non nisi probata extruderemus merces, & quidvis ubique gentium ad nostram utilitatem rursus perfacile mercaremur.

Cur igitur non desinimus nobis ipsis imponere?

Non quidem tantopere improbarim metallorum mixturam, quam Cæsar Statusque Imperii communi ac exquisito consilio monetæ admiserunt. a *Sed quomodo una respublica, rei omnibus promiscue gentibus communi, possit modum statuere, non video. Neque tamen nonnihil misceri nummorum materiam prorsus inconveniens foret, si nummi usus intra nostri Imperii limites consisteret ac nulla nobis cum exteris omnino exoticis commercia intercederent. Sed cum aliunde im-*

por-

a Sub communi principio comprehendi oportet, quod communiter omnibus modum constituit.

portentur ad usum nostrum, & evehantur rursus à nobis, quæ aliis sunt necessaria, quæ hinc & hinc communi nummorũ usu ac precio, & veneunt & emuntur: inde cui non liqueat, in re omnibus gentibus communi, communi opus esse principio, quod nostris & exterorum nummis valorem æqualiter definiat? Atq; hinc cuprum vel minimo pondere argento mixtum nonnihil nummis vitii aspergere, ac receptam gentibus monetæ essentiam mixturæ imminui propalam est. Operatio seu effectus, ait Philosophus, cujusque rei arguit essentiam seu formam. Iam vero incredibile dictu est, quid metallorum commixtio nostræ civitati dederit calamitatum. Per accidens quidem illud contigisse non jerim infitias, atque ex eo præcipue ortam nummorum labem, quod monetarij, publicæ legis normam transgressi, plus æquo metallæ, ac quam per leges integrum fuit,

fuit, ad exitium usque monetæ miscuerunt. Sed in practicis illud antevertere oportebat, unde tam facilis existit occasio peccandi. Nam fere illud per se in actionibus accidere videtur, quo corrupta hominis natura rerumque circumstantiæ inclinant. Etenim indubitata est mortalium perversitas ac ad malum propensio, unde quicquid huic proclive est, illud necessario consecuturum supponunt legislatores, pœnisque & legibus vel prævertere student vel amoliri, non quidem, quod res in se considerata quicquam habeat vitij, sed quod malitiæ mortalium facile abusui sit. Simul atque publica autoritate licuit, cuprum argento injungere, nunquam à perenni monetæ corruptela Imperium quievit. Miscuit, miscuit hominum improbitas & avaritia, fere sine metu & fine, neneque prius fuit miscendi finis, quam omnis fere monetæ essentia

ad nihilum decideret. Atque adeo occasio decipiendi sub metallorum mixtura perfacile delituit. Neque enim oculis cuiusvis confestim discerni potest, quanta parte nummus vel argento superet vel cupro, imo simpliciores monetæ naturam ignorare & imaginibus impressis precium asscribere, imo in æquivoco nomine valorem collocare, in propatulo est. Delitescere vero sub ea commixtione perfacilem monetæ corruptelam & agnoverunt Imperii ordines, & diætis, quas nummis probandis dicarunt, avertere quotannis voluerunt. Sed quod hoc successu hactenus effecerint, nemo ignorat. Audebo dicere, impendia diætis seu legibus nummariis per aliquot annos facta, mille & amplius talenta antegredi: nec tamen iis impediri potuit, quo minus sub miscendi licentia nupera nobis & usque dum gliscens calamitas irrepserit. Non omnino huic absimilem

cor-

corrodendæ monetæ rationem, eximius ille Cæsarum Tacitus suo tempore inoleuisse & agnouit & correxit. Publice enim tulit; si quis argento publice priuatimve æs miscuisset, si quis auro argentum, si quis æri plumbum, capitale esset cum bonorum proscriptione. Corrumpendæ scilicet monetæ fraudem, ait Historicus, Imperator Tacitus excludere voluit, mistione metallorum, fonte illius pestis, & impiæ auaritiæ latebra, prorsus sublata. Occuluntur sane sub mixtura monetæ, fraudes & decipulæ, quas monetarii nummis intendere nunquam hactenus ne atroci capitis pœna deterreri potuerunt.

Atenim si omnem metallorum mixturam excluſam volumus, unde tandem impendia, quæ cudendis nummis necessario fiunt, tulerint Principes? Quis erui metalla ex abditis terræ, nullo suo compendio curabit? Quis tantam vim lignorum,

quam quotidie ad liquefactum metallum comburi constat, sine precio absumet? & unde tandem mercenariorum, qui his rebus deserviunt, mercedes? Equidem ea potissimum ratione, mixturam à Cæsare & Principibus admissam constat, ut detracta fere octava pars marcæ, ut vocant argenti, cupro tamen quo ad pondus repensa, operæ præcium foret. Sed quorsum hoc pertinet? Si omnino consilium fuit cudendæ monetæ præcium statuere: cur non simpliciter partem argenti subtraxerunt, ut Ioachimici minore quidem pondere ex puro tamen argento conglutinarentur. a *Pondus enim cuiuslibet materiæ nequaquam nummorum valorem adauget: sed pondus auro præcipue & argento innexum. Plumbum, stannum & alia etium minora genera argen-*

a Non quodlibet metallum vel pondere compar, peræque nummorum valorem adauget.

argento mixta, quanto quidem minus argenti ineſt, marcam pondere quidem facile adæquarent: ſed quantum precii nummis addiderint, cui non ſuboleat? Pondus igitur nummorum precium non ſimpliciter ac in qualibet materia definitur, ſed in auro & argento.

Præſtans quidem metallum & cuprum eſſe conſtat, idcirco & aliquid valoris ad Ioachimicos adjicere fatendum eſt. Sit ſane. Atqui ſi Ioachimici adiectione cupri aliquanto precioſiores fiunt, cur non omiſſo cupro tantum aſſumimus argenti, quod non quidem pondere ſed proportione precii cuprum cuique marcæ argenti admixtum exæquet? Hac certe ratione, ita mihi omnia ſecunda ſint, & ordinibus impendia nummorum æque præſtarentur, & moneta ſuam eſſentiam retineret puram, ac proinde fraudibus monetariorum minus obnoxia foret.

Varia nummorum genera ab antiquitate repetere jam non vacat, neque etiam admodum referre existimo. Fontem nummorum, quatenus quidem rerum sunt precium, veramque eorum naturam definiisse nobis abunde sit. Quæ hinc dependent nummi differentiæ atque discrimina, consulto prosequi desisto; non enim jus monetæ, omnibus partibus absolutum perscribere animus tulit, sed normam atque naturam, quam omnes promiscue gentes non multo post diluvium, monetæ indiderunt: ne cuilibet reipublicæ sigillatim congruere putaremus, gentium jure inductam monetæ essentiam, civili ratione refigere. Nempe naturalia jura ut ait Imperator, quæ apud omnes gentes peraque observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent. Et publice omnibus innotuit, quibus ipsi sunt malis involuti, qui

naturam monetæ jure gentium subnixam civilibus scitis hactenus refringere sustinuerunt. Guelphipoli. Ann. clɔ Iɔcxxxiii. xxi. Novemb.

Hoc quicquid est operis,
Patriæ

dicat

IACOBVS LAMPADIVS.

IACOBI AUG. THUANI GERMANIÆ DESCRIPTIO

Ex Lib. II. Histor.

GERMANIA antiquos limites habet ab Oriente Vistulam & Lannonias: ab Occidente Rhenum, qui ab Alpibus Leopontiis ex Adula monte ortus per Curiam Rætorum & medium lacum Acronium curvato flexu Augustam Rauracorum dividit, & inde quasi à Meridie Septentrionem versus tendens, binis ac multum disparatis ostiis in mare Germanicum exoneratur: à Meridie Alpibus Ræticis, Vindelicis, Iuliis & Carnicis: à Septen-

Septentrione mari baltico claudiтur. quos postremos limites populosa æque ac bellicosa gens transgredi non potuit, quippe insuperabileis; flumina facile superavit. nam & inde trans Vistulam in Borussiam & Daciam ; inde ultra Rhenum, omnem trans & citra Iuram Helvetiorum civitatem complexa ad Vogesum usque montem & Belgici maximam partem fines protulit , & insulam Batavorum ambigui antea juris , suam effecit , omni ea portione Gallis adempta: itaque & omnibus iis locis lingua ex Germanica detorta utuntur. apud Helveticos , inquam, Tribocos , Vangiones , Nemetes, Menapios, Treviros , Tungros, Sicambros , Ubios , Eburones, Atuaticos , & Pleumosios. quin & Anglicam , quæ hodie est , & Scoticam Teutonicæ esse dialectos quis neger ? uti à Saxoni-

bus nomen, ita & linguam mutuatos esse, vero fit simile: quin & iidem Saxones orientem versus veteres fines egressi Borussos & Transsilvanos, qui hodie appellantur, Germanice loqui docuerunt. etiam Livonia, licet in Sarmatia Europæa sita sit, quia tamen versus Occidentē sinuoso tractu reflectitur, & à Vandalis proximis infesta est, Germaniæ annumeratur; eamque ob causam Rigensis Archiepiscopus, qui in Livonia est, inter Germanicos antistites recensetur. at enim quod in Gallia Germanis, id in Germania Illyriis usu venit, ut suæ ibi dominationis vestigia relinquerent alte impressa: nam & hodie Marcomani seu Moravi, Quadi sive Silesi, ac denique Boëmi, qui omnes priscis Germaniæ finibus continentur, Illyrica seu Slavica lingua utuntur, atque eadem adeo, quæ inter

Istros,

Istros, Dalmatas, Bosnenseis, Bulgaros, ac denique per totam Sarmatiam Europæam Superiorem in usu est. Hac ergo se tenus Germaniæ quasi naturale Imperium in Gallias & Sarmatias effudit; quod jure gentium longe ulterius progressum est: nam postquam Imperium, quod in secunda regum nostrorum familia à Carolo magno incepit, qui Galliam primum, dein Germaniam, ac totam fere Italiam tenuit, ad Germanos translatum est, omnes illæ Provinciæ in Italia & extra Italiam in limite nostro sub Imperio Occidentali & Imperii Germanici legibus ordinatæ sunt. Itaque Sequani, Sclabi, Leuci, Mediomatrices, & in his Lotharingia, Lucemburgensis ac Namurcensis Ditio cis Rhenum & Mosam, & inter Rhodanum & Alpeis Segusiani, Viberi & Veragri, qui hodie Valesiani,

lesiani; Sabaudi item & Allobroges Imperio & legibus Imperii parent. regnum etiam Arelatense, antequam in potestatem regum nostrorum veniret, sub Imperio fuit: cuius rei memoria post sublatam Imperii jurisdictionem aboleri minime potuit. nam & hodie in sermone vulgi interior Rhodani ripa Imperii, citerior Regni nomine indigetatur. translatum autem fuit Imperium ad Germanos ab Othone I. Henrici Aucupis Filio manstitque in eius familia ad Othonem III. nepotem, qui veritus, ne Imperium à patre & avo in Germania firmatum ad Italos, aut etiam Græcos transferretur, legem tulit, qua scitum est, licere solis Germanis Principibus Imperatorem eligere. Id ut facilius Otho impetraret, cum Gregorio V. Saxone sobrino suo, quem post eiectum Roma Crescen-

scentium & Iohannem Græcum expulsum in sedem restituerat, posteris æque damnosa ac ignominiosa pactione transegit, ut qui Rex Romanorum deinceps crearetur, non prius Imperator & Augustus haberetur, quam eum Rom. Pont. inaugurasset. ita Rom. Pont. ab Imperatoribus primum creari aut constitui solitus, arbitrium summi inter Christianos principatus constituendi ad se paulatim traxit. id circa annum Christi IↃ CCCCXCVII accidit. postea Carolus IV. eandem legem renovavit, sub Bullæ Aureæ nomine in Comitiis Norimbergensib. V. Eid. Ianuar. Anno CIↃ CCCLVI. publicatę, quæ & hodie inter Germanos magna religione servatur, is suo periculo, sed sero, sensit, quorsum pertineret ius illud, quod sibi in inaugurandis Imperatoribus R. Pontifex sumpsit, ut scilicet

licet liceret ei, à quo accipere debuit leges, quas vellet, pro inaugurationis pretio imponere. siquidem Innocentius VI. non aliter coronam per ministros ipsi imponi passus est, quam ille jurejurando se obstrinxisset, Romæ aut in Italia iniussu Pontificis diutius non moraturum. ut non immerito Fr. Petrarcha, qui tunc temporis floruit, indignabundo animo miratus sit, quænam ista superbia esset, principem Romanum publicæ libertatis auctorem libertate privare, ut cuius esse debent omnia, ipse non sit suus. in hæc enim verba ad ipsum Carolum Imperatorem scribens vir optimus & sua ætate doctissimus prorupit. Ab Othone III. jus ac potestatem Imperatores eligendi, ut ambitioni ac turbis obviam iretur, ad VII-viros contractam esse vulgo persuasum est;

est; videlicet, Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem Epiſcopos ; Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Brandeburgicum Marchionem, atque his additum fuiſſe Boëmiæ tunc ducem, nunc regem, cui locus eſt, ſi quando accidat, ut VII-viri in ferenda ſententia paribus ſuffragiis inter ſe diſſideant. ſed melioris antiquitatis periti aliter ſentiunt, Germanicorum annalium fide edocti diu poſt Othonem III. tam reges Germaniæ quam Imperatores, ſicuti antea fieri conſueverat, à populis & Principibus fuiſſe renunciatos. Friderici II. Imperium, qui Anno Ch. CIↃ CCL. è vita migravit, nullam VII-virorum mentionem à Scriptoribus Germanicis fieri, qui omnia eligendis Imperatoribus Comitia ad hoc uſque tempus ab omnibus Imperii ac regni principibus ſive

ſacris

sacris sive solutis nullo discrimine celebrari solita concorditer memorant ; ut eam VII-virorum institutionem inter annum CIↃ CCL. & CIↃCCL XXX. cepisse necesse sit; etsi conjecturæ locus detur, circa tempora comitiorum, quibus post longum interregnum Rodolphus Habspurgensis Comes Austriæ familiæ hodie potentissimæ conditor Rex appellatus est, atque, ut putat Onufrius Panuinus, in magno Concilio Lugdunensi II, quod à Gregorio X. Placentino anno post Rodolphi electionem celebratum fuit, probatam ac confirmatam. quanquam Nic. Cisnerus I. C. vir alioqui Germanicæ antiquitatis perquam gnarus contrarium asserat ; aut certe diversa longe, in Oratione de Othone III. & Consiliorum Imperatoriorum instituto edita tradat. nec minus plerisque suspe-

spectum est, quod vulgo itidem jactatur, regis Boëmiæ partes esse, ut paribus suffragiis interveniat; cum ei tertium in dicenda sententia locum nominatim Aurea Caroli IV. Bulla tantum attribuat. quod ab ipso tanquam rege Boëmiæ tunc institutū, minime tamen a successoribus eius postea servatum fuit. Imperium autem, quod vocant, in tria omnino membra dividitur, omnium caput & princeps est Imperator. sequuntur ii, quos diximus, Principes; ac præterea ex sacro ordine Archiepiscopus Magdeburgicus Germaniæ primas, Salsburgensis, Bremensis, ac denique Rigensis, quibus subsunt XLV. circiter Episcopi, insuper Misnensis, Babenbergensis, & Ratisponensis, qui Archiepiscoporū potestati exempti sunt. dein sequuntur cœnobiorum multi præsules, & antistitæ. post

Palatinum, Saxonem, & Brandeburgicum, alii etiam Palatini, Duces, & Marchiones, Lantgravii item, Burgh-gravii, Comites, Domini, Barones, Primi, quique quatuor ex singulorum numero præcipui, dein plures, quorum non ita definitus est numerus; quippe qui pro temporum ratione & Imperatorum arbitrio mutatur, augetur, minuitur. atque illi fere omnes Principes etiam in Italia ab Imperatore in fidem accipiuntur, & fide data, si mandatis imperialibus non obediunt, aut bellum contra Imperii leges suscipiunt, proscribuntur, & bonis ac possessionibus mulctantur: & deficientibus hæredibus masculis fere Ditiones & possessiones eorum ad Imperatorem redeunt. Tertium membrum Civitates liberæ constituunt, quæ sunt hodie LX. cum prius plus quam XC. numerarentur

rentur. Ex his constat respublica Germanorum; quæ sic ea ratione vocari potest, quod quamvis Imperator primum, dein reliqui Principes, ac postremo Civitates liberæ suas quæque ditiones, jura, consuetudines, & subditos, in quos ipsis ius vitæ & necis est, habeant; tamẽ quia simul omnes Imperio subditi sunt, & ipse Cęsar Imperii caput, Imperii legibus est obnoxius, universi reipublicę unius speciẽ exhibent. quoniam vero Ditiones singulorum ita permistę invicem sunt, ut crebras de finibus & juribus inter ipsos controversias oriri necesse sit, ideo Consilia communia inter eos instituta sunt, singula in singulis decem circulis, in quos Germaniæ Provinciæ omnes distributæ sunt anno huius seculi XXII. cum prius sex tantum circuli essent. quanquam & aliæ constitutorũ circulorum

causæ assignentur, nempe ut esset, unde Senatus Imperii, qui tunc summa cum autoritate jus dicebat, suppleretur, deinde ut paci publicæ consuleretur, ac leges Imperii latæque sententiæ executioni demandarentur. nam circulorum Consilia nullam vere jurisdictionem, sed deliberationem duntaxat de executionis modo & ordinãda re bellica auxiliisq; manu armata expediendis habent. primo circulo continetur Franconia, in qua III. Episcopi. secundo, Noricum & Baioaria, in quovis VI. Episcopi. tertio, Austria & Tirolensis ditio, in qua itidẽ VI. Episcopi. quarto, Suevia, in qua III. Episcopi, & Virtembergensis principatus, plurimæq; civitates liberæ. quinto Alsatia Inferior, in qua XI. Episcopi, Duces Sabaudiæ & Lotaringiæ: nam superior tota est Ditionis Austriacæ. sexto, Palatinatus

tus Rheni, in quo III. viri Ecclesiastici. septimo, Vestphalia, in qua VIII. Episcopi. praeterea Frisia Orientalis, Dux Iuilaci & Cliviae, Comes Valdecius. octavo, Saxonia superior, Misnia & Lusatia, in queis VII. Episcopi, Dux Saxoniae VII-vir, Dux Pomeraniae, Marchio Brandeburgicus VII-vir, Princeps Anhaltinus, Gedanum civitas, aliae. nono, Saxonia Inferior, in qua Archiepiscopi Bremensis & Magdeburgensis, Episcopi V. etiam Rex Daniae propter possessiones, atque Holsatiam imprimis, quas in Imperio obtinet, Duces Brunsvicensis, Megalopolensis & Luneburgensis. decimo, denique Burgundia Superior sive Sequani, in queis Vesuntinus Archiepiscopus. is circulus ab Austriacis Burgundiae Principibus nuper additus, in quo & praecipui Belgici Proceres comprehendi voluerunt.

runt. his consiliis Princeps, aut aliquis ex primaria nobilitate in unoquoq; circulo præficitur, cui quatuor Consilarii attribuuntur. Ad graviores causas inter Principes & Civitates decidendas ordinata est Spiræ Camera, cui præest Princeps aliquis, seu Comes, seu Baro. Assessores huic hodie quinque à Cæsare dantur; inque his tres è Comitum aut Baronū ordine Præsides; à VII. viris X. ab Austria I. à Burgundia I. à sex circulis XVIII. ab quatuor circulis, in eo numero comprehensis Austria & Burgundia Provinciis, sex quibus omnibus, qui in universum XLI. Cæsar præsidem summum primariumque judicis Cameralis nomine præficit. atq, hæc quidem privato juri inter Principes singulos & Civitates disceptando Consilia instituta sunt. Verum quæ ad Imperii majestatem, rempub. & jus universorum

sorũ pertinent, ut cum de pace, de bello, de tributis in communis belli sumptus imponendis, de fœderibus, de sociis, de legum latione, abrogatione aut interpretatione, de moneta, & cęteris huiusmodi rebus agitur, de iis in ordinum Comitiis (diætas vocant) quæ quo loco & tempore commodum videtur, indicere Imperatori jus est, deliberatur. iis Imperator, Principes, aut Principum & Civitatum legati interesse, instare, supplicare, intercedere possunt pro dignitatis gradu & suffragiorum prærogativa, quam iuxta consuetudines & leges in Imperio promulgatas & receptas obtinent.

Huic reipublic. Germanicæ ex tot Principibus, tam Germania, in qua, uti explivicamus, jurisdictioni Imperiali subsunt, quam extra Germaniam ad Imperium pertinentibus tot civita-

tibus, adde etiam fœderatis populis compositæ; quid in omni antiquitate conferri possit, non video; nisi aut Amphictionum consessū ab Amphictyone Atheniensium rege Deucalionis F. Promethei N. ad Thermopylas & apud Delphos institutum, qui XII. Græciæ populos complectebatur; aut Achæorum denique Concilium, quod sub Arato Sicyonio maxime immensum viguit. verum hæc cum Germania comparata, quasi musca ad Elephantum. nam facile fuit, ut populi inter se contermini exteriorum injuriis obnoxii, cum alter alterius ope indigerent, una convenirent, & idem sentirent communis salutis tuendæ causa: quemadmodum & facile ii conventus aut externis opibus aut domesticis dissensionibus postea dissoluti sunt; quamvis eorum umbra quædam etiam

sub

sub Romanis Imperatoribus remanserit. mirum vero tot potentes populos, non vicinorum metu, aut ulla necessitate adductos, in hanc status formam consensisse, & semel acceptam per tot secula tam constanter retinuisse, ut nullum robustius corpus, licet ex debilibus plerumque membris conflatum, si singulos spectes, aut hodie sit, aut olim fuisse homines meminerint. & quod magis admirabile est, cum ex diversis administrationum generibus constet, summa concordia ab eo tempore inter eos extitit; nisi si quando semina dissensionum inter eos jacta sunt, quibus id effectum est, ut excusso Imperii jugo, Pontifices in Italia rerum potiti sint, & ad alias nationes atque adeo Germanos ipsos paulatim Pontificii nominis terror pervaserit, salva tamen & incolumi in Ger-

mania ad noſtra uſque tempora Imperii maieſtate. ſed exorto Luthero, diſtractis Principum & populorum animis, & quo ſibi ac Religioni proſpicerent, diverſas ſe in factiones ſcindentibus, Carolus v. tot ſucceſſibus elatus, arridente fortuna occaſionem arripuit Imperii, cujus ipſe pars erat, ſibi ſuiſque proprio jure aſſerendi. id ſibi tot victorias ſpondere atque adeo ſibi deberi tum confidebat, tum vero & rem tentare honorificum & quodammodo neceſſarium exiſtimabat. nam cum aliquot ante annos, ut Imperium in familia firmaret, Ferdinandum fratrē regem Romanorum Colonię renuntiaſſet, id VII-viri & alii Germani Principes, quod contra Carolinę conſtitutionis leges factum eſſe dicerent, magnopere improbabant, & ſine VII-virorum conſenſu potuiſſe fieri negant. itaque & eo

nomine

nomine Saxo, Heſſus, Vilelmus & Ludovicus Baioari fratres libertatis Germanicæ tuendæ cauſas clam fœdus icerant cũ Franciſco, qui centum aureorum millia in eam rem apud Bajoaras depoſuerat, ut in promptu eſſent, ſi quid inopinati accideret. Sed cum in cauſa religionis poſt proſcriptum Lutherum diverſa diverſis temporibus Imperii decreta edita fuiſſent, quibus fere receptæ & antiquæ Relligionis auctoritas aſſerebatur, & ne quid in eius præjudicium fieret, ſevere cavebatur, undique prementibus Gallis, huius ſeculi anno XLIV. Spiræ poſt multas diſceptationes in comitiis poſtremo conſtitutum eſt, Cæſar daret operam, ut ex ſententia piorum juxta & doctorum virorum ratio iniretur de emendando Eccleſiæ ſtatu, cujus emendationis formula præſcriberetur: ipſi viciſſim

cissim Principes idem facerent, quo proximis Comitiis facta utriusque collatione de communi consensu ad Dei gloriam aliquid statueretur, quod in posterum eo usque observaretur, donec publicum & liberum Concilium in Germania peragendum, aut saltem nationis Germanicæ conventus celebrari posset: interea pacem inter se colerent omnes, nullique motus Religionis ergo excitentur: Ecclesiastici cetus, utram, utram Religionem profiteantur, facultates utrobique suas obtineant, ex iisque ministris, scholis & egenis, quantum satis erit, erogetur.

FINIS.

BIBLIOTECA NACIONAL TORINO
786239